

www.e-rara.ch

**Henrichi Loriti Glareani, patricii Claronensis apud Helvetios, in omneis,
quae quidem extant, T. Livii Patavini clarissimi historici decadas,
annotationes**

Glareanus, Henricus Loriti

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-655>

In T. Livii nobilissimi historiographi tertiam decada Henrichi Glareani annotationes

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IN T. LIVII NOBILIS
 SIMI HISTORIOGRAPHI TER
 TIAM DECADA HENRICHI GLAREA
 NI ANNOTATIONES,
 IN LIBRUM PRIMVM.



ISSVS Hannibal in Hispaniam.

Haud abs re multi eximij uiri hoc in loco dubitarunt, quando nam Liuius crediderit Hannibalem in Hispania missum. Si enim cum Hamilcare parente in Hispaniam uenit, quod Polybius, Plutarchus, alijq; autores asserunt: & ipse Hannibal ter apud hunc fatetur autorem, semel libro huius decados primo, in oratione ad milites apud Padum: iterum libro decimo ad populum Carthaginensem: tertio ad Antiochum regem libro quinto decados quartæ: quo pacto uera esse possunt quæ hic aliquot locis tam ambigue ait Liuius? alibi uixdum puberem, literis ab Hasdrubale accersitum, alibi quinto post patris mortem anno, quippe qui triennio sub Hasdrubale militasse dicatur, anteaquã imperator electus fuerit, cum tum temporis ut minimum XXIII. annorum iuuenis esset. Cæterum cum secundum Liuij uerba nouem annorum puer admotus altaribus fuerit, ac ipse pater Hamilcar nouem deinde annis, Hasdrubal, eius gener, octo in Hispanijs administrauerint imperium, uidendum omnino quo anno Hannibal accersitus uideatur, quo anno uenisse in Hispaniam, quo denique anno cepisse imperium. Quod si dicamus nouem annorũ puerum Hannibalem cum Hamilcare parente uenisse in Hispaniam, ac post nonum parentis in Hispania, octauumq; Hasdrubalis in eodem imperio annum, ipsum electum imperatorem, cum haberet iam annum XXVI. omnia tunc loca de Hannibale bene habebunt, & cessabit intempestiuum hoc scomma quo Liuius in hac præfatione in hos uiros iocatur, cum nec temporum ratio, nec patris uerecundia hoc, ut uerisimile uideatur, admittat. Fuere enim uiri strenui, quantumuis barbari. Præterea nescio quàm longe uehementius uiriliusq; sonet, si quis omnibus his dictionibus aspiret, Hannibal, Hamilcar, Hasdrubal, Hanno: nec dubito apud prisecos eam fuisse pronunciationem in Punica lingua, deinde per Græcos ac Romanos corruptam, ut pleraq; alia barbarorum. Cum nemine tamen ea de re certauero.

Arma atq; equi conspiciabantur.

Incerta est distinctio, incertus sensus: neque hercules ego satis explicare possum, nisi dicamus: Si quando arma atq; equi conspiciabantur, tum equitum peditumq; longe primum fuisse Hannibalem. Sed neq; sic satis fit mihi.

Finitimis

Finitimis domitis gentibus iungendoq̄.

Videndum lectori, num hic nomen aliquod substantiuum desideretur. Nam illud, iungendoq̄, quid sit, non intelligo.

Carteiam urbem opulentam caput eius gentis.

Carteiae urbis & nomen & situs uariè apud autores habetur. At Olcadum nomen non fermè apud ullum classicum inuenias, nisi apud unum Polybiū, unde hic noster Liuius totam huius libri historiā propè de uerbo ad uerbum mutuatus est, eademq̄; secutus Plutarchus.

Hermandica & Arbacala Carthorum urbes.

Pro Carthorum, quidam Carteiorū restituerūt: at hi Olcadum melius repositissent, siquidem Carteia Olcadum caput erat, ut paulò antè dixit Liuius. Verum ex Polybio clarum euadit Hermandicam & Arbacalam Vaccæorum urbeis fuisse, quare hoc loco pro Carthorum, nō Carteiorū, sed illorū, restituendum erat, ut Vaccæos referat. Idem ostenditur apud Plutarchū in Hannibale. Sed ab aliquo sciolo hoc corruptum temerè, ut alia pleraq̄;

Ægates insulam Erycemq̄; ante oculos proponite.

Mirum hoc nomen tam uarie scriptum inueniri, alibi Ægades, alibi Ægates, Ægusam etiam apud Græcos, ut Polybium, qui lib. 1. eam insulam mediam inter Carthaginem ac Lilybæum ponit. In eodem tamen libro paulò post ait nō longe à Lilybæo abesse, atq̄; ita etiam posuit Ptolemæus. L. autem Florus in sua Epitome de pugna Carthaginensium cum Luclatio cos. att, Carthaginensium rates totum inter Siciliam Sardiniamq̄; pelagus naufragio suo operuisse, ut Ægates inter has duas insulas esse significaret.

Sed Tarento tum in Italia non abstineramus ex fœd.

Hoc de Tarento apud neminem autorem inuenio: sed Messana Mamertinorum urbe nō abstinuere Carthaginenses, quæ urbs principium fuit aut causa potius primi belli Punici. Porrò bello Tarentino cum Carthaginensibus quarto fœdus renouatum est, ut idem Florus in Liuij Epitome libr. 13. fateatur. Mamertinis autem auxilio uenere apud eundem, lib. 14. & 16. quo factò ab ijs fœdus uiolatum est. Sunt autem Mamertini urbis Messanæ iniusti occupatores, quibus Romani non satis decorè auxilium tulere, ut autor est Polybius lib. 1.

Itaq̄; nequicq̄; peragrata Hispania in Galliam transeunt. In his &c.

Cum dicit, in Galliam, statimq̄; subiungit, In his, uideri potest syllepsis & genere & numero esse. Quamq̄; etiam nomen alicuius populi omissum fortassis est, quippe qui post aliquot uersus subnectat: Eadem fermè in cæteris Gallicæ concilijs dicta auditaq̄;. Sed iudicet lector.

Peditum Afrorum XI. millibus octingentis quinquaginta.

In Polybio ita legitur lib. 3, Pedites autè ex Africa XI. millia octingentos

C quinquaginta, ex Liguribus trecentos, ex Balearibus quingentos. quare hic distinguendum & post quinquaginta, & post trecentis: deinde post Balearibus addendum, quingentis: tollendaq; distinctio post Liguribus, ut totus locus ita legatur: Firmatq; eum Africis maxime praesidijs: peditum Afrorum unum decem millibus, octingentis quinquaginta: Liguribus trecentis, Balearibus quingentis. In elephantorum ac Libyphoenicum numero etiam discrimen est: sed fieri potest ut Livius non ubiq; sit secutus Polybium.

Atq; inde profectus praeter omissam urbem.

Quidam restituerunt, Etouissam urbem. In Ptolemaei codice Etobessa Edetanorum urbs hoc itinere legitur.

C. Lucretius, Au. Servilius.

Libro decimo huius decados, ubi hi ex captivitate liberantur à cos. Cn. Servilio huius Auli filio, legitur Cneius etiã, ut patris ac filij idem fuerit praenomen, sed placet magis Aulus hoc loco.

Nec dum per patentia loca ducebatur agmen cum ap. ho.

Ego, nec dum, duas esse dictiones existimo: & tollendum illud, cum, ante apparuit, ut sit sensus: Hostem, quandiu in patenti loco agmen Romanum ducebatur, non visum: sed ubi rursus sylva intrata, tum Gallos rursus adortos Romanos, quod & sequentia deinde verba satis indicant. Notanda autem significatio verbi, intrata. Porro quod de uico Canneto ait, propinquum eum Padum flumini, bene congruit etiam Mutinae. Nam libro decimo dicturus est Canneti hos legatos captos, cum alij Mutinae captos credant, in qua opinione est etiam Polybius.

Itaq; ingens co. uis na. est lintr. q; tem. ad uicinalem usum.

Vicinalis usus quid sit, obscure intelligitur. Perottus Polybium uertens, hoc loco quotidianum usum traduxit. Vellem uidere graeca, quae ad manum nobis defuere.

Ad id dati duces Galli educunt inde millia v. & xx.

Apud Polybium ducenta stadia leguntur, quod idem est. Siquidem stadium unum 125. passus continet, autore Plinio libro secundo. Caeterum quae continuo sequuntur uerba, & male distincta sunt, & obscurum habent sensum: quae quia plana facere diffisi sumus, sat erit lectorem admonuisse, si fortassis correctiorem codicem naclus ipse medicam manum adferre queat. Multa enim eiusmodi sunt, praesertim in hac decade, quae mutila, ac temporum iniuria corrupta dicere non dubito, quale etiam illud statim de Hispanis: Ipsi cetris superpositis incubantes. Quidam suppositis malunt, quidam in nominandi casu superpositi. Sed lectoris iudicio haec relinquo.

Vt quenc; timentem altitudinem destituerat uadum.

Quidã uado emendauerant, sed nihilominus obscuro manente sensu. Atea
omnia

A omnia proficere, neque possim, neque uidetur operæ precium.

Pluribus retinaculis ualidis parte superiori ripæ relig.

Polybius longe plures rates ponit, duas à terra in amnem, duas à parte ripæ retinaculis religatas ad arbores parti ripæ superiori eminentes, denique duas solutu facileis ab alijs, ac longe maiores. Difficultas intellectus, quare & quomodo, quæ à terra erant, ligabantur, quæ in amne prorsus, nõ ligabantur, cum haud dubie maiore fluminis ui deferrî poterât. Sed talia multa à nobis indiscussa studiosis lectoribus consideranda relinquimus.

Qui se duces itinerum, socios periculi fore affirmantes.

Cum hi duces itinerum essent, & Hannibal falsum Casilini monstratorem crucifigere non dubitarit, mirum quo pacto toties postea in Alpibus errans, non omnibus crucifixerit. Sed talia fortassis dissimulanda sunt: nam in Polybio ea inuenit Liuius.

Sed ad læuam in Tricasti, flexit, inde per ex. oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios.

Tricorij oppidi meminit Plinius lib. 3. cap. 4. Cæterum cum in Allobrogibus iam esset Hannibal Alpes transiturus, quomodo ad læuam in Tricasti nos potuit fleclere iter? quomodo deinde in Tricorios atque adeò ad Druentiam flumen? Polybius certe ea non habet, undeunde acceperit Liuius. Ego **B** ad dextram malim legere, siue locorum ignorantia, siue casu lapsus Liuius, siue denique temporum iniuria id erroris in autoris codicem manauerit.

Vtraque simul obiecta oculis animisque.

Coniunctionem, & omiserunt quidam codices recentes, sed absque ea nullus erit hic sensus.

Occurrantes per obliqua montani, erupto medio agmine.

Quid sit erupto medio agmine, haud sanè intelligo. Vide num interrupto medio agmine sit legendum.

Recenti terræ lapsu in pedum mille admodum.

Polybius cum hanc rupem describeret, nõ de altitudine, sed de angustia uicæ angustiore facta meminit. Liuius uero cum ab initio dixisset, Ventum deinde ad multo angustiore rupem: paulò post subiungit: Natura locus iam ante præceps, recenti terræ lapsu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. nulla amplius angustiae mentione facta. Polybius præterea ducentorum pedum meminit, ubi Liuius mille ponit. Sed hæc eius erant, qui cõmentarium scriberet, longius proficere. Attigit & Valla locum.

Digressus deinde ipse ad locum uisendum.

Sensus sequentium uersuum perquam obscurus est. Polybij uerba Perotto interprete (nam græci codicis copia defuit nobis) clariora uisa sunt, ea ita ha-

bent: Dux Carthagenensium principio per loca inuia, nec ante eum diem trita, circumducere agmen conatus, quoniam iter id niues insuperabile faciebant, à proposito destitit.

Ipsis adminiculis prolapsi, si iterum corruissent.

Hæc uerba uidentur nescio quid desiderare. Quid enim sensus hic est, prolapsi si iterum corruissent?

Secabantur interdum.

Ita quidam restituerunt hunc locum, cum prius necabantur legeretur. Sed totus hic locus uerbis sequentibus perquam obscurus est, ideoq; & hic Polybij uerba ex interpretatione Perotti ponam, si studiosus lector fortassis his adiutus, melius Liuij sensum percipere queat. Iumenta uero (inquit) interdum quidem prolapsa glaciem secabant: sed pressâ oneris magnitudine, pedibusq; eorum indurata glacie perstrictis, moueri postea inde non poterant. Hæc ille. Tu etiam atq; etiã uide quid sensus ex his Liuij uerbis colligere queas: Et prolapsa iactandis grauius in cõtinento unguis, penitus perfringebant. Nam ego ea planè non intelligo.

Quadriduum super rupem consumptum.

Alij emendarunt, circa rupem, non multum ad rem meo iudicatu. Nam die D rum numerum, quem postea ponet Liuius, iuuare conati sunt. Si enim nono die in iuga Alpium peruentum est, biduumq; ibi statiuã habita: deinde tertio die ad rupem multo angustiore uentum, quadriduumq; circa eam absumptum: denique postremo quiete data triduo, atque ita in planum descensum, numerus excrescet in decem & nouem dies, cum Liuius decimoquinto die superatas dicat esse Alpes. Sed in biduo intelligo etiam nonam diem, ita ut undecimo die ad multo angustiore rupem uenisse dicantur. Quadriduum autem sequens ita partitus est Polybius, ut unum diem labori datum pro deducendis equis iumentisq; dicat: reliquum triduum elephantis deducendis. Igitur hoc sequenti triduo iumenta equiq; in plano pasta: quanquam Liuius dicit triduum datum etiam hominibus muniendo fessis, atque deinde in planum descensum. Sed cum in hac numeri summa secutus sit Polybius, etiam in partibus sequi oportuit, meo quidem iudicio: sed iudicent doctiores.

In Taurinis quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digressio.

Quidam distinxerunt post, in Taurinis, quasi Hannibal in Taurinis eum numerum amisit, quem uerius toto à Rhodano itinere amisit. Ego quid dicam, uix equidem cõminisci possum. Fortassis autem in Taurinos legendum.

Cælius per Centronis iugum dicit transisse.

Ita habent uetustiores codices, non Cremonis. Et Centronum cum alijs, tum C. Cæsar meminuit. Cremonis iugum, quod quidam substituerunt, quid sit, haud equidem

A equidem inuenio. Libuis autem & Ptolemæus & Plinius Vercellas attribuunt. Hic noster autor libro quinto ab Vrbe condita, ait olim eos possedisse loca ubi Verona & Brixia, quæ Cenomani Elitouio duce postea ceperint, quanquam eum locum alij aliter legant, ut ibidem cõmonstrauimus. Illud autẽ, semigermanis, uehementer me torquet, nec tamen mutare ausim.

Cum Pifas nauib. uenif. exer. à Manl. Att. ç.

P. Cornelius antè dicitur à Liuiò uenisse Placentiam è Gallia, quanquã alij in eo loco restituerunt Genuam: mirum cur hic non etiam Pifas emendant. Nisi dicamus Cõsulem noluisse tyrones obijcere Gallis dubijs socijs, atq; ita à Genua Pifas nauibus iuisse, ut à prætoribus (nam ita intelligo Attilium Manliumq;) exercitum acciperet.

Peditum agmen, quod in modum fugientium.

Peditum agmen, construendum cum assequi uerbo, quod non ita multo post sequitur. alioqui, si ad huius sensus periodum connects cum uerbo, obuius fuit, uideri poterat legendum agmini, non agmen. Sed id perquam exiguum.

Quinq; millia passuum à uico tumultis confedit.

Vicum non nominat. & tumultis considerare quomodo in plano, ut hic omnia erant, intelligatur, non hercle capio. Suspicio proprium nomen oblitteratum, ac pro eo suppositum tumultis.

B Tota rate in secundam aquam labentẽ.

Locus perquam obscurus, confusione ratis & pontis.

Extemplo & circa prætorem à ciuitate missi.

Ad ciuitates recte quidam emendarunt. Sed, circa prætorem, credo græcam esse locutionem. Et illud, Ante omnia Libyæum teneri, obscure dictum, nisi iussit, uel quid simile intelligas. Deinde illud, perq; omnem oram qui erant, insuetum dicendi genus: qui enim, uidetur referre eos qui in speculis erant. Denique quod statim sequitur, Simul itaque: uide ut suspensum est ad longe sequentia, extemplo datum signum &c. Postremò quod ait, sublati armamentis, relatiuum uidetur illi quod postea dicturus est, demendis armamentis.

Ut socijs naualibus affatim instr. da. ita inopem milite ha.

Mirum si socij nauales non erant milites, nisi milites solos Carthaginenses ciues, non socios intellexerit: aut socios fortasse, qui ducendis nauibus idonei, cæterum ad pugnandum inutiles, id quod quibusdam magis uerisimile. At libro sexto huius decados Sex. Digitius socius naualis dicitur, haud dubie non inutilis ad pugnandum, quippe qui muralem coronam peteret.

Mille & DCCC. fuere in nauibus capti.

Quidam DCC. legunt. At res non est magni momenti, qualia sæpe alia quoque, quæ lubentes negligimus.

C Ipse compositis Siciliae rebus, X. nauium classe or. Ita leg.

Pro decem nauium classe, alibi decem nauibus legitur. Caeterum cum dicit oram Italiae legens, non satis clare percipitur utro mari, superone an infero uia fecerit: at quia Ariminum uenit, uidetur supero iuisse, quod et exercitum miserat, ut ait Liuius, cum contra Polybius Sempronij exercitum 40. diebus a Libya Trebiam pedestri itinere uenisse dicat, non nauibus.

Duo millia ped. & mil. equi. Num. plerosque mixtos.

Polybius ait Hannibalem misisse Numidas Gallosque inter se mixtos: quare hic distinguendum ante uerbum, mixtos, quod in omnibus prope neglectum uidi codicibus. Et ante aliquot uersus uerbum, declarabatur, mutarunt in declarabat.

Varia inde pugna sequentes &c.

Haec longe clariora apud Polybium leguntur. Et illud, Maior tamen hostium Romanis fama uictoriae fuit: ambigue dictum uideri poterat, nisi quae continuo sequuntur uerba, amphibolon tollerent.

Et quicquid aurae fluminis appropinquabat, affla. ac. fr. uis.

Uidetur et hoc obscure dictum, quamque sensus utcumque percipitur.

Baleares locat ante signa leuem armaturam.

D In Polybio legitur cum coniunctione, ac leuem armaturam, ut non intelligamus Baleares leuem dici armaturam, sed alios. Tum haec quae sequuntur uerba: Deinde grauiorem armis peditem, eodem autore ad circumfundit uerbum, referenda putamus, quorum uiginti millia inter Hispanos atque Afros mixtis Gallis fuisse scribit. Nec sequentia obstant, quippe et equites et elephanti in cornibus diuisi fuere eodem autore, si modo Perottus graecae recte extulit. Haec ideo admonitione digna duximus, quod non est uerisimile tam negligenter Liuium haec traduxisse.

Duodeuiginti millia Romanorum erant.

Polybius ait sexdecim millia peditum Romanorum, ex socijs uero Latini nominis ad uiginti millia: id quod uerisimilius est, quando legiones quaternum millium erant, ut ipse Liuius superius scriptum reliquit, non ita longe ab huius libri initio. Addit autem Polybius, perfectum numerum copiarum, ubi de summa rerum agebatur, conueniebantque simul duo c o s s. ex tot millibus constituisse.

Simul latebras eorum improuida praeterlata acies est.

Latebras legendum, ut recte quidam restituere. Nota autem illud, simul, pro statim ut, accipi, huic auctori oppidoquam familiare, ut Horatio, quod in superioribus quoque alicubi admonuimus. Caeterum hic praeterlatam aciem ait, quam uersu sequenti immotam aliquandiu mansisse dicit: quamque cauillum hoc est, in hoc appositum, ut uideat lector, quid sit cum iudicio autores legere.

Creati

A Creati COS. Cn. Seruilius & C. Flaminius.

Addendum, iterum, ad C. Flaminius, ut ipsemet Liuius autor est, non ita longe à fine huius uoluminis: Flamino (inquit) fauorem apud plebem, alterumq; inde consulatum peperit. Fuit autem COS. ante hunc anno septimo. Cæterum quæ hoc loco paulò post sequuntur uerba, de Celtiberis ac Lusitanis, impeditioribus quàm Numidæ essent, haudquaquam à me intelliguntur. Suspicio autem ea corrupta esse.

Itaq; sub lucem cum equitatu COS. aderat.

De P. Scipione hoc intelligo. Nam Sempronius Romam ad habenda comitia profectus erat. Quanquam hoc mirum, cum ad Emporium hoc prope Placentiam occurrisset Hannibali, egregieque locum defendisset, cur non ad Vicumuias quoque adfuerit: an quia multitudo temerè ibi egerit, ut uersimile est? an historia non omnibus uera credita, quippe non ab omnibus scripta, etiam à Polybio ommissa, ut quæ luculentum damnum Romanis rebus attulerit? Et sequentia quoque usque ad res Hispaniæ, ab alijs non sunt tradita.

Emporijs appulisset classe.

B Alij classem in accusandi casu emendarunt. Cæterum Liuius Emporias fœminino genere usurpat, ut libro octauo huius decados in oratione Fabij aduersus Scipionem, & libro quarto sequentis decados urbem eam describit, postquam Cato in Hispanias uenit. quare paulò post hic legendum: Emporias cum classe redijt, non Emporia. etiamsi Græci ἐμπόριον dicant, nominatim Strabo in tertio.

Hostis cis Taraconem, Iberum rursus redit.

Ita ueteres habent codices: quæ lectio placet, si recte intelligatur, quod hostis Hasdrubal qui cis Taraconem unà cum Ilergetibus, qui & ipsi cis Iberum sunt, socios Romanorum uexabat, aduentu Scipionis perterritus rursus ad Iberum redit. Nam Taraconem uersus eum celsisse, ubi præsidium erat Romanorum, uix intelligitur: quanquam hoc quidam ita emendarunt, temerè meo quidem iudicio.

Et Cære fortes extenuatas.

Ita habent uetustiores codices. Quidam extenuatæ restituerunt, sed errant.

Si in decem annos R. P. eo. ste. lo. Hæc proc. uotaq;.

Quidam R. P. legerunt Romanum populum, cum respub. significetur. Ego priorem dictionem Res, integrè scriberem. Quidam etiam pro loco, legunt statu. denique procurata uota, adiectiuum ac substantiuum cum relatiuo quæ, non cum coniunctione, q;: sed mihi displicet, tametsi res est non magni admodum momenti.

C Ob hoc ratus auspicijs emendis.

Sabellicus emendandis legendum putavit, sed ex codice Moguntino emendandis recte restitutum est. Nam loquitur hic autor ex opinione Flaminijs. Præcedente autem uersu distinguendum post legis, ut suasor legis intelligatur Q. Claudius, non C. Flaminius.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII
TERTIAE DECADOS LIB. I. FINIS.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS
LIBRVM SECVNDVM HENRICH GLA-
REANI ANNOTATIONES.



AM uer appetebat, cum Hannibal ex hyb.

Priore lib. ita habet Liuius: Secundum eam pugnam Hannibal in Ligures, Sempronius Lucã concessit. Nec interea quicquam de eius in Galliam ex Liguribus reditu. Polybius omisit Hannibalis in Ligures discessum. Cum igitur Hannibalis hyberna apud omnes in Gallia fuerint, mihi hoc quoq; suspectum totum Hannibalis iter uisum est, ut pleraq; quæ in hac historia extra Polybium admiscet Liuius.

Consensu indicantium seruatus erat.

Pro consensu, alij consensum restituerūt, quod placet. Perottus cum hæc uerteret, crimen indicantium extulit.

Quod enim illi iustum imperium, quod auspicijs esset ma.

Querela est senatus: ea tamen uerba me male torquent. Priore enim libro Flaminius priuatus clam in prouinciam abiisse dicitur, quod rebatur Latinarum feriarum mora, & consularibus alijs impedimentis, patres retenturos se in Vrbe. Hic autem contra Latinis ferijs actis, sacrificio in monte Albano perfecto, uotis rite in Capitolio nuncupatis, iustum imperium auspicijsq; secum ferre dicitur. Quod ea de causa admonemus, ut eò attentius lector id legat.

Et Capuæ speciem cœli ardentis fuisse.

Hoc loco Sabellicus ait: Caput pro Capuæ audacter reposui, quod & ego puto audacter factum. Capuæ enim legendum est, nõ Caput: nisi alia uerba aliter legerit.

Iunoni Mineruæq; ex argento daretur.

Tria magna Romæ numina, Iupiter, Iuno atq; Minerva. Cæterum cum primum Ioui donum fulmen aureum pondo l. fieret, quid Iunoni Mineruæq; datum sit ex argento, non explicatur. Nisi quis argenteum fulmen dicere uelit.

Hæc

A Hæcubi facta, Decemviri Ardeæ in foro.

Mirum uero quid ita Ardeæ sacrificatum, cum nullum prodigium illic uisum in prioribus narretur. Ieiunium etiam est quod sequitur: sed his omnibus uere mederi nequimus.

Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere.

Nullus propemodum liber est, in quo non male loquatur Gallis Liuius, ipse in Gallia cisalpina natus. Sed scilicet Patauini ab Antenore nati ad Galliam non attinent: nam id aliquot locis innuere uidetur. Rideo ineptiam tanti uiri. Hoc etiam loco credemus (si dijs placet) Gallos neque sustinere se prolapsos, neque assurgere ex uoraginibus potuisse, qui prius toties hoc iter totis exercitijs, peragrarint, atque adeo ipsam Urbem uictis Romanis, ceperint diruerintque. Sed hercules affectus ab historica fide longe abesse debebant.

A tergo ac super caput detectæ insidiæ.

Ego detectæ pro teclæ positum puto, uidelicet compositum pro simplici. Nondum enim Romani dolum senserant, de quibus postea dicit: Eo magis Romanis subita atque improuisa res fuit.

Romanus clamore prius undique orto.

B Sermo est impeditus, ac nescio quid desiderans post uerbum, cerneret. Nam illud, se circumuentum esse, ad sensum referendum est.

Donec Infuber eques (Ducario no. erat) fa. no.

Quidam pro eques, equum supposuerunt, et faciemque, cum coniunctione post parenthesim. Sed simplicior lectio est eques, et faciem absque coniunctione, ut habent uetustiores codices.

Spoliare cupientem triarij obiectis clypeis arcuere.

Scutis alibi legitur. Sanè scutum triariorum erat, ut etiam libr. 8. ab Urbe cond. Liuius indicat, ubi etiam differentia inter clypeum ac scutum, et clarius deinde libro nono.

Profectus per Brutianum Hadrianumque agrum.

Ita in Polybij codice legitur. Moguntinus codex Prætutianum habet, idque cum Plinio consentire uidetur lib. iij. cap. xij. et xiiij. De hoc itinere habes rursus lib. 7. huius decados.

Quæque prophana erunt Ioui fieri.

Verba sunt solennia, uetusta, quædam etiam obsoleta, ut non sit opus ibi anxium esse: intelliguntur tamen. Cæterum quod quidam uere sacro etiam hominum fetus intelligunt, ex hisce Liuij uerbis certe colligere nequeunt, qui ex suillo, ouillo, caprino grege ait. Libro autem tertio, mutilo illo quartæ decados, hic prætor C. Cornelius Mammula dicitur, non Aemylius.

Aeris CCXXXIII. millibus triente.

Quia in hoc uoto omnia ternario numero nuncupata sunt, ut ex Plutar. etiã

in Fabio patet, ccc. legendum, non cc. Nec uacat illud triente, propter eandem causam. Tractat & Budæus hunc locum lib. 3. de asse perquam eleganter, ut solet alia.

Tum ædes uotæ, Veneri Erycinæ ædem Q. Fab.

Hic locus in omnibus, quæ mihi uidere contigit, exemplaribus corruptus fuit, sed emendatu facilis est. Nam post uotæ distinguendum, quasi, de quibus etiam supra memorauit, duabus generaliter dixerit: deinde de utraq; inferendū hoc modo: Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Max. dictator uouit. Menti ædem Oclacilius prætor uouit. Quare autem Veneri, dictator, ratio posita est ex libris fatalibus. Obiter etiam notandū, Oclacilium legendum pro Atilio, ut ex libro sequenti patebit.

Prius ab alijs inuictum animum præstans.

Vt ingenue dicam, quid hoc ab alijs referat, haud equidem intelligo.

Quinq; & uiginti ex xxx. cepere nauæis.

Paulò superius, quadraginta nauæis ait Himilconi ab Hasdrubale traditas: itaque uidendum num hic xl. pro xxx. legendum, quanquam ne Liuius quidem sibi in hoc nauium numero constat. Libro enim præcedente ait, Hannibalem, cum ex Hispania profectiorem in Italiã pararet, fratri trigintaduas quinqueremes apte instructas, ac triremes quinq; reliquisse. Quod si hic adiecit x. totus numerus erit nauium quadragintasetem. Sed negociū nõ non est tanti, ut diutius nos moretur.

Itaq; ad onustam classem profecti.

Ita fermè habent codices. Alij autem emendarunt, Honoscam classe profecti, ut sit proprium Honosca. Verum Liuius non ita multo post, Romana castra ait ad nouam classem fuisse, cum Punica in agro Ilercaonensiũ essent: quod non mutarunt, qui superiorem locum emendare cõtenderunt. Ego sanè loca illa apud Geographos non reperio: fortassis autem uetustate abolita, aut indiligenter à scriptoribus tradita, ut sunt huius regionis pleraq; apud hunc præsertim autorem, ut in sequentibus clarius demonstrabitur.

Mandonius uir nobilis &c.

Et hic locus in omnibus exemplaribus, quæ nobis contigere, corruptus habebatur. Sequitur enim uerbum, uenere. Nisi quis latine dici putet, Mandonius cõcitis popularibus uenere. Et: Plato uocatis discipulis in scholam aduentarunt. Et quod ab initio libri quarti huius decados Liuius postea habet, L. Atilio præfecto præsidij, quiq; cum eo milites Romani erant clam in portum deductis, atq; impositis in nauæis, ut Rhegium deueherentur. ubi cõiunguntur, Atilio deductis: quia milites, in medio assumptum est. Item lib. 7. huius decados: Exinde Mutinæ, & si quorũ aliorũ merita erga populum Rom. erant, in Senatum introduclis, honores omnibus ad exoluendam fidem Consulibus habiti.

A *biti. Sed iudicio lectoris hoc etiam committimus.*

Nihil aliud quæ unum uile atque infame corpus.

Fortassis legendum, nihil aliud quæ onus uile, atque infame corpus esse ratus. Nam haud scio an Latini dicant unum uile, quo modo hic ponitur. Quod si locus bene habet, notandum sanè id locutionis genus ut rarum, atque infrequens.

Iamque artibus Fabij pars exercitus aberat.

Fabius Romæ erat: negocium hic inter Minutium ac Hannibalem agitur. Itaque hæc uerba consideranda lectori, quomodo Hannibal cunctando bellum gerebat &c. nam ego planè hic hæsito.

Et Consule creato M. Attilio Regulo.

Hunc postea, ut male habent quidam codices, uocat M. Attilium Fabianum, qui Flamini suffectus etiam à Polybio dicitur: sed & Polybius Regulum cognominat, ut hoc loco Liuius.

Quem semper occursum ad obli. fatis sciebat & contra iturum.

Illud, & contra iturum, recte mutatum est in contrahere, absque coniunctione: tamen si uetustiores quidam codices reclamant.

Non celerius quæ timui, deprehendit for. temeri.

Hunc autem locum iisdem cum interrogatione legendum præceperunt, quod mihi neutiquæ uerisimile uidetur, nec quenquam puto illis assensurum. Iidem in Minutij uerbis ad milites paulò post, ubi Hesiodi dictum allegat, Quid in re sit, legunt, cum omnes uetusti codices habeant, quid in rem sit.

Ut à populo crearetur qui prodicator esset.

Quidam diuissim, pro, &, dictatore, legunt: ut paulò post compositæ, ut dictator pro prodicatore diceretur, bis repetita præpositione, pro, per appositionem & cõpositionem, ut loquuntur Grammatici. Ideoque superius in hoc libro ubi Fabius creatur prodicator, legendum, Nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat. Prodicatorem populus creauit Q. Fabium Maximum. Hæc ideo admonenda duxi, quod in quibusdam codicibus hæc corrupta uidimus. Quæ uero sequuntur uerba, Adeoque inopia est coactus Hannibal: non uidentur huc pertinere, neque ea sunt in omnibus libris.

COSS. M. Attilius Fabianus, Cn. Seruilius Musitanus.

Ita habent plerique codices: sed legendum est M. Attilius Regulus, & Cn. Seruilius Geminus. Hi sequentis anni Proconsul. fuere, ut autor est Polybius. Ab initio autem huius anni cum C. Flamini Cn. Seruilius COS. factus est, Flamini autem subrogatus M. Attilius. Quidam hoc loco & novos COS. & nouum annum collegere, Attilium, Fabianum, & Seruilium, Musitanum uocitantes, utrunque inusitato cognomine.

C. Terentio Varroni, quem sui generis hominem.

Ita plerique habent codices in dandi casu, ut sit sensus, patres obstabant C.

C Terentio. Sed melius omittitur relatiuum, quem, & in accusandi casu legitur, ut à nominatiuo, patres, nouus incipiat sensus. Præterea concussis legendū, nō concussum. Neq; enim Varro concussus erat, sed Fabius. Meminit & Val-
la huius loci.

L. Æmylius Paulus, qui cum M. Lælio cōs. fue.

Cum M. Liuiο legendum, ex Cassiodori catalogo. Præterea ex Pœnæ si-
militudine, de qua & hic & anno 12. huius belli, Salinatorem esse puto, qui
fuit cōs. cum L. Æmylio Paulo proximo ante hoc bellum anno.

Septem & octoginta mil. armatorū & cc. in castris.

Pro cc. integre scribendum erat ducentos, ne ducenta millia stupidus ali-
quis supra septem & octoginta millia intelligat. Porrò legiones hic millib. pe-
ditum, & centenis equitibus auclæ, quod in ingenti necessitate fieri solebat, ut
elegantè hoc apud Polybiū quoq; unde huc descripsit Liuius, legitur.

Victoriam auream pondo ccc. xx. afferre sese.

In Valerij Max. codice lib. 4. ad finem auri pondo ducenta & quadragin-
ta leguntur. quod ideo admonendum duxi, ne temerè uel hic autor ex illo, uel
ille ex hoc corrigatur, donec certiora argumenta appareant, quàm quæ ex co-
dicum fide, ut plurimū uana, colligi queunt.

Nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat.

D Hic planè uidemus iusiurandū maius quiddā fuisse sacramento militari. Cæ-
terum præter etymon utriusq; dictionis, nihil nos differentiæ possumus: quip-
pe lib. x. ab Vrbe cond. ubi de linteata Samnitiū legione, etiā iusiurandū uocat,
tametsi per sacra fieret. Ideoq; lectori hoc quoq; iudicandum relinquimus.

A ueritate laborare nimis ius sæpe aiunt, ext. nun.

Quidam ita sententiam extulerunt: Ius laborat, non extinguitur. Quidam
autem ita, Ius, aiunt, id est, fas, laborare à ueritate. At non est ius unquam ex-
tingui. Neutri autem satis explicāt, quò ista aduerbia, nimis & sæpe, referen-
da, quod simul explicatum oportuit. Ego sanè obscuram fateor sententiam. D.
Erasmus in adagio, Tempus omnia reuelat, laborari legit. Valla, à uerita-
te, prioribus connectit, non posterioribus. & paulò post, Nec ego ut nihil a-
gatur, legit, nec eò.

Hispani linteis prætextis purpura.

Post purpura distinguendum, ut clarū est ex Polybio. quod non sine cau-
sa admonemus, quippe nullus alioqui sensus erit, & in omnibus codicibus hoc
neglectum uidimus. Nota autem uersu sequenti, an non uulgata consuetudine
utatur uerbo, uidelicet, contra quàm Valla præcepit. Ducū autem secundum,
Polybius Hannonem facit, pro Maharbale.

Hasdrubal qui ea parte præerat.

Hic de sinistro cornu Romano, & de dextro Pœnorum loquitur: ergo pro
Hasdrubal

A *Hasdrubal legendum Maharbal, quod diligens lector cum iudicio hæc legens, facile iudicabit. Quod si omnino quis contendat occultam digressionem ad sinistri Pœnorū cornu pugnam describendam à Liuiio factam, quod Polybius de Hasdrubale diuersa quædam narret à Liuiio, erit haud dubie legendum, qua parte, pro qui ea parte. At prior opinio magis mihi probatur.*

Quadraginta millia peditum, duo millia septin. equit.

Polybius ad septuaginta millia cæsa tradit. Dionysius etiam Halicarnassæus ex octoginta millibus tria euasisse scribit lib. 2. Cæterum si uersu sequente quis tollat, ciuium, ac coniunctionem, ratio numeri ferè cum Polybio conueniet. Alioqui uerborum Liuii sensus est, tantum ciuium propè, quantum sociorum de XL. millibus cecidisse. Porrò in captiuorum postea oratione ac item T. Manlij, quinquaginta millia nominantur. Ex his lector iudicet quodnam uerisimillimum, nam ego planè hæsito.

Et C. Minutius Numatius.

Priore anno dictator creatus erat ad habenda comitia P. Veturius Philo, eius Magister equitum M. Pomponius Matho; cum Fabio autem M. Minutius Rufus. quare hoc nomen mihi suspectum.

Hæc ubi dicta dedit, stringit gladium, cuneoq;

Facto per medios uadit.

B *Carmen sesquihæroicum, ut appareat uerum esse historicos medios esse inter poetas & oratores, quando etiam ab heroico uersu coepit Liuius, ut autor est Quintilianus. quanquam ego credo fortuito hoc potius factum quam ex proposito. Quod autem sequitur, In maiora castra ad sexcentos euaserunt: quidam libri tria millia præterea habebant, cum tamen in oratione T. Manlij de captiuis redimendis, sexcentorum duntaxat sit mentio. Porrò quod rursus sequitur, Atq; inde protinus alio magno agmine adiuncto Cannusium incolumes perueniunt: puto eum loqui de quatuor millibus peditum ac ducentis equitibus ex maioribus castris, ut non ita longe post dicturus est Liuius.*

Et omniū primū brachio fluminis obiecto eos excludit.

Ego obiectus malim legere: nam flumen qui obijcere potuit Hannibal? Quinetiam in oratione captiuorum postea, ab aqua coerciti dicuntur.

In capita Romana tricenis nummis quadrig.

Tricenis pleriq; habent codices luculento scribarū errore, pro trecentis. Qui enim fieri potuit ut caput ciuis Romani triplo minoris censeretur quam caput serui? Triceni autem à triginta est, trecenti à trecentis. Huius nominis prima syllaba correpta est, illius uero producta. Similis error apud Horatiū est lib. secundo carm. ode 14. Non si trecentis quotquot eunt dies Amice places illachrymabilem Plutona tauris. Vbi omnes codices, tricenis perperam legunt. Et quod hic trecentis distributiue ait, postea Iunius in oratione pro captiuis,

C trecentis dicturus est. Quod item hoc loco nummū quadrigatū, illic simpliciter nummū uocat, fortassis cōmiserationis gratia. Nam quadrigati bigatiq; denarij erant, quaternis nummis ualentes, ut clarum est ex Plin. lib. 33. cap. 3. Ipse Liuius paulò post summā uariat, ubi Hannibalem captiuū loquentem introducit. Equitū enim precium adiicit, de quo antea nulla mentio: præterea socios sine precio dimissos, in quos hic ducenos quadrigatos constitutos ait. Gellius libro 7. cap. 18. precium in captiuos ait ab Hannibale constitutum, argenti pondolibram ac selibram, nullum captiuorum faciens discrimen: quæ summa dupla minor est trecentis quadrigatis, siquidem denarium per quadrigatum intelligamus, autore Plin. Quare & hæc summa hic nobis suspecta.

(Nam ad uestiendum facto per exiguo utiq; militantes utebantur.)

Vestiendum habent uetustiores codices: quidam emendarūt uescendū, quod ego non intelligo. Facto autem intelligit argento, ut opinor. Nam quod de auro quidam marginibus notam apposuerunt, somnium est.

Mulier Paula nomine Busa genere clara diuitijs.

Et ipse Liuius paulò inferius Busam uocat, & Valerius Max. lib. 4. cap. 8. Quapropter Paula, quid hic sibi uelit, si quidem Busa nomen est, non sanè uideo. Itaq; considerandum lectori quo pacto distinguere hæc uelit, Nominè Paula, Busa genere: an mulier nomine Busa, clara genere ac diuitijs, ut o-

D mittatur Paula, quod & alij omittunt.

Quorum principem L. Cæcilium Metellum.

Valerius lib. 5. cap. 6. ubi de Scipione, Quintū uocat, non Lucium, si codex non errat, ut sanè huius autoris codex, qui lib. 4. huius decados M. Cæcilium habebat, ubi Censuram sedulitatem refert Liuius.

Moenibusq; se certe, etsi non armis.

Hoc recte ab alijs restitutum est, cum quidam se tueri, alij secreti, nonnulli se teneri legerunt, pro se certe.

Sed multiplex clades cum duobus COSS.

Non est hoc contrariū illi quod paulò antè dixit, Cōsule exercituq; ad Trasimenum priore anno amisso: nam hic ita nunciatū ait. Cæterum unus duntaxat ceciderat L. Aemilius Paulus, duo autem cæsi nunciabantur.

Literis Consulibus pro prætorisq; lectis M. Claud.

Hic locus in codice Aldino asterisco notatus est, & recte. quanquā si pro uerbo, præesset, legamus præerat, & suppleamus, censuerunt, sensus erit clarus. Est tamen notandus locus.

Cum tribunus mil. Teanum Sidicinum præmissa.

Et hic locus asterisco in eodem notatus codice. Cæterum si intelligamus partem militum tertiæ legionis Romam missam, partem Teanū, & deinde secutum Marcellum cum Cannusium peteret, classē autem P. Furio traditā, non, ut puto,

A ut puto, omnino militibus uacuum, aliquo pacto sensus constabit. Tribunis autem ablatiui casus integrè scribendum. Teanum accusatiui, nõ datiui, ut contra uetustorum codicum fidem quidam mutarunt.

Dictator ex autoritate patrum dictus M. Iunius.

In alijs codicibus D. Iunius scriptum erat, fortassis quod captiuorũ orator M. Iunius dicebatur. Verum in iisdem lib. sequenti M. prænomen est dictatoris: quare nihil mutauero, fieri enim potest ut duo hoc fuerint prænomine.

Sine ullius infectatione eorum.

Illud, eorũ, quid sibi uelit, haud equidem intelligo, suspicor deesse aliquid.

Priore Punico bello Calpurnio Flamma.

Calpurnium quidam scribunt: at id leuiculum. Id magis mirandũ, tam uarium apud autores eius esse nomen, ut Aul. Gell. lib. 3. cap. 7. annotauit. Quidam enim Q. Cæditium, quidam Laberium, Liuius & Florus Calpurniũ Flammam, uocatum scripserunt.

Defecere autem ad Pcenos hi populi.

B Non subito defecere omnes, quos hic enumerat, populi: sed quidã statim, quidam post annũ, ut Croton ac Locri. Tarentũ uero, Metapontus ac Thurium quarto post anno, App. Claudio Pulchro, Q. Fulvio Flacco III. coss. Nec omnes Brutij defecere. Regini enim eius regionis, et in fide erga Romanos & potestatis suæ ad ultimum manserunt, ut ipse Liuius libro sequenti dicturus est: quanquam Petellinos eodem libro paulò antè unos ex Brutijs in amicitia Romana mansisse dixerat. Sed temerè hæc mixta sunt Liuius, ut in sequentibus libris luce clarius ostendi potest.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII
TERTIAE DECADOS LIB. II. FINIS.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS
LIBRVM TERTIVM HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



ANNIBAL post Can. pug. castra capta ac direpta.

Romanorum castris captis ac direptis legerem: quippe Hannibal Romanorum castra non mouerat, sua nõ diripuerat, sed contrà, utrunq;.

A Statio pollicente se Consam traditurum,
Consanus erat.

Quidam pro Consam, emendarunt Cossam & Cossanus. In Tuscia est Cossa, nihil prorsus ad hunc locum. Plinius lib. 3. cap. 11. Compfanorũ meminit, ubi Beneuenti ac Caudinorum. Itaq; ego hic Compfam legerim per ps. nisi

C *locis diuersis idem nomen fuisse quis contendat, quod ego absque autoribus nō affirmarim.*

Pacuius Caluius nobilis.

Caluius per u, nō per n legendum. Est autem nomen Samniticū, unde Campani oriundi erant, ut libro 4. ab Vrbe condita docuit Liuius. Silius libr. 11. Paclulonem uocat, sed carminis fortassis gratia: quanquam is poëta historico similior, ut de Lucano docti sentiunt.

Cceptum propter uos cum Samnitib. bellum per centūm propè an.

Libro primo de bello Macedonico ait legatus Romanus in concilio Aetolorū per annos propè septuaginta: quod magis uerisimile est ex catalogo coss. & annalibus. Sed hic oratoriè omnia auget.

Pœnus hostis, ne Africæ quidem indigenam.

Ita habent uetustiores codices, ut sit adiectiuum ad militem, non ad hostis. Quidā temerè, meo quidem iudicio, mutarūt in nominatiuū indigena: cum utiq; Hannibal esset Africæ indigena, sed nō omnes eius milites. Loquitur autem de ea quæ proprie Africa, in qua Carthago.

Vnus ex ijs Subius Virius.

Hic est qui in summa desperatione Capuæ senatores ad coenam inuitat lib. 6. huius decados, quo in loco tamen Vibius Virius dicitur, non Subius.

D Atq; etiam modo diu ad uarios omniū uoluptatum.

Leuiculum fortassis est quod me hic torquet, torquet tamen: quid enim sibi uult illud, modo diu? Num pro admodum, ut sepe aliàs, an nœuus aliquis hunc occupauit locum, ut pleraq; in hac decade? Valla legit, domo, & diu ad sequentia coniungit: sed nescio quid dicam. Sed & sequentia suspicionem non omnino uanam cōuincunt, ut illud, ipsiq; ualetudinem excusans patri, quomodo ad priora connectitur? Et illud, eius, quid refert, aut quomodo prioribus sequentibusq; cohæret? Sed iudicet lector. Valla multis modis effert, uerum conieclure sunt, quales plures effingere nō esset difficile, si quidē uulnus sic sanaretur.

Cum VI. imperatorib. eum, quorū IIII. COSS. duo di.

Nemini dubium, Magonem hæc qua potuerit magnificentia senatui Carthaginensi retulisse, cum amplissimo, ut decuit, fratris encomio. Quare miror hunc locum non ita legi: Cum septem imperatoribus eum, quorum quinque coss. &c. Sunt autem hi, P. Scipio, T. Sempronius, C. Flaminius, L. Aemilius, C. Terentius, Q. Fabius, & M. Minutius. De Fabio certe & Minutio dubitari non potest, cum ipse eos hic nominet. Præterea cum sex ait consularibus exercitibus, ubi etiam plures inueniet qui pugnas ordine leget: sed hercules in repetitione imperatorum Sempronij oblitus uidetur. At nobis hæc ideo memorare placuit, ut uideant studiosi, non omnino uanam esse suspicionem nostram, hanc decadem plenam esse mendis. Spero aut fore ut hæc
per alios

A per alios manifesta fiant.

Pro his tot, tantisque uictorijs rerum.

Hocrerū, quidam haud temerè amouerūt, mea quidem opinione. Quidam mutarunt in uerum. Quanquam præterea sensus uidetur desiderare uerbum, petit, uel quid simile.

Tacuissem (inquit) hodie P. C.

Idem uero hoc, inquit, sustulerunt ab initio huius orationis, quod ego malim in posterioribus sublatum: Respondeam inquit Himilconi. Errorem fecit dilemma Hannonis altera defectum parte. Dilemmatis partes sunt, si reticeam, si respondeam, & membrum quidem præcedens suis explicatum est partibus conditionalibus, sequens non item: sed statim absque conditionis explicatio ne respondet. quapropter non est mihi dubium, orationi aliquid deesse, quod cordatus lector iudicio hæc legens facile uidebit.

Dictatorque cum Magone in Hispaniam præmisit.

Utrum Carthaginenses etiam dictatores habent, an ita loquitur Lilius, ut paulò antè P. C. dixit in Hannonicæ orationis exordio de senatu Carthaginensi?

Latoque (ut solet) ad populum, ut equum ascendere liceret.

B De his dictatoris cæremonijs nihil antea in Lilio lectum, neque de ascensu, neque descensu, quod equidem sciam: sed neque apud Dionysium Halicarnassem, cum tamen is lib. 5. non ita longè à fine de alijs moribus dictatoris tractet, nihil tamen eiusmodi narret.

In agrum Nolanū exercitū traducit, & ut non hostiliter.

Ego coniunctionem, &, tollerem è medio, propter participium sequens, prætermisurus.

Ad prætorem Marcellum Clau. qui Casilini cum exercitu erat.

Quidam pro Casilini bis hoc in loco, sed male, meo quidem iudicio, restituerunt Cannusij, propterea quod lib. præcedente dicatur Marcellus Cannusium magnis itineribus contendisse. Sed uel in itinere restituisse eum, uel Casilinum rediisse intelligimus, quod loca huius itineris facile conuincunt. Neque enim à Cannusio Nolam proficiscentibus Vulturinus annis transeundus, neque Galatia petenda: at utrunque à Casilino, etiamsi de Galatia nihil definimus.

Et ante omnes L. Bantius.

Valerius Maximus lib. 7. cap. 3. de uasre dictis aut factis, tale quiddam non de Marcello, sed Q. Fabio scribit, quanquam subobscurè.

In hac comitiaria iam duorum exercituum statione.

Hic locus quàm bene habeat, uehementer dubito: neque enim uspiam memini me legere quid sit comitiaria statio.

C Casilinum eo tempore Prænestini habebant.

Quidam adiecerunt numerum, quingenti Prænestini: sed ut alia in hac historia non constant, ita nec militum numerus. Valerius enim Maximus lib. 7 trecentos fuisse Prænestinos ait. Strabo libr. 5. circa finem, ait quingentos & quadraginta fuisse. Liuius paulò post ambigue loquitur. Nam qui in præsidio fuere (inquit) ex quingentis septuaginta minus dimidiū ferrum famesq; absumpsit. Sed præmiserat paulò antè, Prænestini maxima pars fuere, quod mirum uidetur, cum Perusina cohors, homines cccc. & lxx. unà cum ijs obsidionem pertulerint. Verū cum cogito in hac rerum necessitate Valerio murem fuisse, Straboni autem medimnū, ducentis uenditū denarijs siue drachmis: deniq; Liuiū, cum ex proposito ut historicus, ea scriberet de fame, cæterum nihil hac de permutatione meminisse, suspicio subit animū, uel libros corruptos, uel historiam indiligerenter à Romanis scriptam, ut sunt alia pleraq;.

Et cum hostes obarassent quicquid herbidi &c.

Hæc ita Liuius narrat, quasi Pœni obarauerint quicquid herbidi terreni extra murū erat. Strabo autè de Prænestinis πλεισιόν τῶ τείχεος refert, quod ego intra muros intelligo, ac proinde Hannibalè territū, aut tædio potius affectum, si Prænestini obsidendi essent, donec rapa maturescerent. atq; hic sensus Strabonis uerisimilior uidetur. Hannibalis enim exercitus nulla tanta premebatur angustia, præsertim tam propinqua Capua, felicissimoq; Campano agro in Pœnorum iam manibus, ut rapa ijs ferenda essent.

Eodem tempore Petellinos, qui uni ex Brutijs in amicitia Rom. mans.

Quomodo una Petilia, cum Consentia ac Rhegium quoq; manserint? Consentiam enim post Petiliæ expugnationem intra paucos dies, cum minus pertinaciter defendisset se, in deditioem Hannibalis uenisse scribit. Rheginos uero & in fide erga Romanos, & potestatis suæ ad ultimum mansisse, quod ad finem prioris libri admonuimus.

Consultiq; iterum à M. Aemylio prætore.

Hic primo huius belli anno Siciliae prætor fuit, cui Sempronius coss. cum ipse è Sicilia reuocaretur, quinquaginta nauium classẽm expleuit, cuiq; prorogatum imperiū uidetur anno secundo huius belli, quippe cuius Liuius meminit ante creatos coss. tertij anni L. Aemylium & C. Terentium. Cæterum huius anni prætorem urbanū, M. Pomponiū Mathonem ipse Liuius creatū dicit, ubi dictos iam coss. Quare & hoc loco, & paulò post M. Pomponiū Mathonem legendum puto pro Aemylio, ut postea sæpe legitur. Anno uero sexto huius belli M. Aemylius fit prætor, sed opinor alium fuisse.

L. Furium prætorem cum classe ex Africa.

P. Furium legendum, ut superius in creatione magistratuum huius anni libro secundo, & alibi etiam sæpe eodem libro.

L. Aemy-

A L. Aemilius qui COS. Censorq; fuerat.

Cum L. Aemilius Paulus iam occisus esset apud Cannas, alter etiã eodem nomine bello Gallico, anno ab Vrbe cond. 529. autore Polybio, hic locus mihi planè suspectus, maxime uero in prænominibus. Fortassis autem legendum M. Aemilius, qui COS. fuit anno 524.

Vt quisq; eorum primus creatus erat.

Hic codex Moguntinus, & eum secutus Aldinus, addit senator, ante primus: ex qua lectione nullus est sensus, neque ego puto addi debere, sed Liuiũ iduelle dicere, ut quisq; eorum primus creatus erat, uidelicet in magistratu, ita primum inter senatores electus. Sic enim ordini ordo, ac tempus tempori, non homo homini præferetur.

Et T. Semp. Gracchus, qui tum magister equitum & eò accurrerat.

Quidam hunc locum emendare uolentes, occurrerat posuerũt pro, & eò accurrerat. At ego legendum puto, qui tum magister equitum cum eo accurrerat. Venerat enim cum dictatore hoc tempore in Urbem, cum antea ad exercitum manere, dictatore in urbem cõmeante, cogebatur.

De exercitu eos, qui ex fuga Cannensi essent, in Sicilia ca. du.

B Idem hunc locum ita emendarunt: De exercitu Marcelli, qui ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traducti. Verum si Marcelli exercitus erat, quem Nolæ in præsidio habebat, quiq; ibi strenue nauauerat operam, cur ij soli in Siciliam relegandi? cum maiorem partem Cannensium reliquiarũ cum Varro in Apulia fuisse uerisimile sit: de cuius tamen exercitu minime minuendo Senatusconsultũ factũ erat. Quare ego ueterem lectionẽ probo, hoc sensu: Qui ex Cannensi strage fugissent, ut ij omnes in Siciliam relegarentur, de quocunq; exercitu essent. Varronis autem exercitum non minui, intelligo numero: quot enim in Siciliam irent, tot in locum eorum succenturiandos. Scio autem quæ postea de Claudianis castris dicit Liuius, rem nusquam antea proditam, ut mirũ sit unde ea Marcellus corraserit castra supra Sueffulã, quæ deinde super Vesuuium ponit, in quibus Q. Fabius confederit.

P. & Cn. Scipiones inter se partiti copijs.

Quidam hunc locum satis castigatũ putant si partiti copias legatur, & intelligunt uerbum substantiuũ, sunt. Quidã locum nihilominus mutilum putant. Item quod paulò post sequitur, Tum refecta tandem spe, nescio ut placet. Refecta castra dicimus, & refectos milites: refecta spe haud scio quàm sit in usu.

In Tartesiorum gentem.

Hoc quoq; loco ijdem Carpesiorũ, pro Tartesiorũ reposuerũt, quod nomen haud usquam, quod equidem sciam, lectum est. Tartesos uero oppidum ad Calpen, ita à Grecis dictũ, aliàs Carteia, ut Plin. lib. 3. cap. 1. innuit. Nec distantia ab Ibero impedit, cum Hasdrubal alibi ad oceanum usque fugisse dicatur.

C

Nec diu in pacato mansit.

Exercitum in pacato ac in hostico esse, sæpius lectum est apud autores. Regionem aut gentem in pacato manere, haud scio quàm sit frequens.

Itaq; urbe defensoribus uastata facile potiti sunt hosti.

Vide ut accipiat illud, uastata. De Crotone autè loquitur, quem hic captum dicit, libro autem sequenti ab initio, à Brutijs obsideri scribit. Idem memoriæ lapsus de Locrensibus est, quos hic descivisse ad Brutios Pœnosq; ait, nec ita multò post Romanis portas quoq; clausisse, sequenti uero libro ab initio prorsus cōtrariū scribit. Hic locus, meo quidem iudicio, nullam accipit excusationē.

Ut duumuiros esse iuberent ædis dedican. cau.

Quidam pro duumuiros, reposuerunt Fabium duumuirum, magna audacia, meo quidem iudicio, cum & T. Oclacilius creatus sit postea, non Fabius tantum. Itaq; pluralis numerus manebit, ut & postea cum dicit, Interea duumuiroi creati sunt. Et, ædium dedicanarum causa, legerem, nō ædis dedicanæ, quemadmodum postea ædibus dedicandis dicturus est.

T. Sempronius cōs. Cales ad conuen. diem edic. Inde. vi. leg.

Hic Cales dies edicitur, paulò post Sinuessam. Idem Sempronius hic legionibus duabus urbanis, paulò post Volonibus præficitur. Sed urbanæ etiã
 D *legiones in castra Claudiana deducæ sunt, ut planè appareat tempore mutata esse imperatorum decreta. Hoc etiam mirum, quum antea de castris Claudianis nullam fecerit mentionē Liuius, qui Marcellum nunc Nolæ, nunc Cannusij, nunc Casilini fuisse dicat, hic tanquam ea omnibus nota essent, cōmemorat, ac postea sæpius.*

Q. Fabius Maximus, & T. Attilius Crassus.

Quidam pro Attilio reposuerant Oclacilio, quod nō displicet, quippe qui post dedicationem ædis postea cum imperio in Siciliam mittitur. Sed ubique hoc emendatū oportuit. Verum eodem propè uersu reliquerant, Menti Attilius, cum adhuc de eodem loqueretur. Et libro 2. post pugnam Trasimenam ubi eæ uouentur, Attilius iudem reliquerunt. Non tutum est mutare talia, nisi totam historiam memoria teneas: sed quidam audaculi non admodum curant, præsertim hac tempestate.

Volones quoq; patres ita fama ferebantur.

Pro Volones quoq; alij, uulgoq; alij, uelle quoq; legunt. Sed non satis fit cordato lectori, nec ego sanè medelam ullam adhibere possum, recteq; asterisco notatū hunc locum ab alijs puto, à nobis repetitus, ut in uetustis exemplaribus diligentius inspiciatur. Diuinare omnia non possumus. Certum est in simulatos patres à plebeijs, aut tonitrua finxisse, aut curasse ut falso nunciarentur quod duos cōs. plebeios habere nollent.

Vnde

Vnde Magus frater Hannib. XXII. mil. ped. & equites.

Hunc locum quidam restituerunt, ut ex XXII. millibus peditum fecerint XII. mill. & ex XI. elephantis, viginti, & ex argenti multa talenta, mille talenta. Quæ quidem neque affirmare, neque refellere prorsus, at ex parte magis dubia, maxime ex ipsius auctoris uerbis, facere possumus. Nam decretum senatus Carthaginensis, quod superius hoc ad eum in libro post Hannonis orationem nobis exhibuit Lilius, longe maiorem habet numerum, XL. millia Numidarum, XL. elephantum, & argenti multa talenta. Et Bomilcar postea XL. elephantos Hannibali Locros adduxit. In plerisque exemplaribus utroque in loco non mille talenta, sed multa inuenio, quanquam ego millia magis probo.

Terentianum mitti cum aliquo legatorum.

Obscurus hic sermo est. Varronianum putat exercitum, & mitti intelligo in Siciliam, ut Cannensis cladis reliquias. M. aut Valerium legiones uenturas accipere in locum harum, missas ex Sicilia.

M. Valerium Leuinum prætorem circa Nuceriam.

Quidam quod Nuceria direpta atque incensa esset ab Hannibale, ut supra tradidit auctor, reposuere Numeriam. At ego Luceriam legendum puto, quemadmodum ad finem huius libri habetur, ubi eiusdem Valerij mentio. Numeriæ oppidi, quod equidem sciam, nulla est apud auctores mentio. Id nominis etiam in Ptolemæi codicibus lib. 3. ferè corrupte legitur.

Q. Valerius Flaccus Corcyraeos ad persequendam &c.

Iidem & hoc loco Q. Fuluium Flaccum supposuerunt, temerè sanè, cum Q. Fuluius prætor urbanus Romæ relictus, ad suburbana littora tutanda nondum ab urbe mouerit. Ego tamen non Q. Valerium, sed P. Valerium puto legendum, qui M. Valerij Leuini prætoris peregrini legatus fuit, ut in sequentibus latius legetur, quamquò uno in loco sequentis libri T. Valerius, haud dubio codicis errore, uocetur. Sed quatuor uiri, M. Valerius Leuinus, P. Valerius Flaccus, Q. Fuluius Flaccus, L. Valerius Antias, hoc anno in officijs, magnam errandi occasionem non attentis librarijs, oscitantibusque codicum correctoribus, confinio nominum dedere.

Quinque millia peditum, trecentos equites scriberet.

Quidam, imò idem etiam quadringentos emendarunt equites, moti fortassis quod legionem auctam millenario uiderunt. At Polybius cum libro primo legionem Romanam quaternis millibus peditum, trecentis equitibus exhibeat, libro deinde tertio, ubi legiones auctas ante cladem Cannensem refert, hæc subiicit uerba: Romani enim, sicuti supra memorauimus, IIII. legionibus exercitum complent. Singulæ quæque legiones quaternis millibus peditum constant, equitibus ducentis: aut si quando ingens aliqua necessitas urget, quinque millibus peditum, trecentis equitibus. Hæc ille. Quanquam in hoc Polybij numero illic

C fortassis trecentis pro ducentis, hic uero quadringentis pro trecētis legendum. In Liuiō sanè libro 7. ab Vrbe cond. quaternū millium ac ducentorū peditum cum trecentis equitibus legio describitur, quæ ab eodem libro octauo quinū millium, equitibus non uariatis exhibetur. Ego totum hoc lectoris iudicio relinquo: nam de equitibus, quod certum affirmem, non habeo.

Marius Alfius qui summus magistratus erat Camp.

Marij Blossij prætoris Campani mentio est non ita longe ab initio huius libri. At in summo magistratu Mediastutici erant, ut lib. 6. huius decados patet: & priore anno Pacuius Calaius in summo erat magistratu. Verū non uideo quàm sint hæc apud Liuium distincta, fortassis ut ad historiam minus pertinentia, consultò ab autore neglecta.

Alia militi præda concessa, exercitusq; Cumas reductus.

M. Valerius Leuinus Luceriæ erat, ex qua urbe in Hirpinos facile impetum facere potuit. Ergo hic non Cumas legendum, sed Luceriã: longe enim absunt Cumæ. præterea Cumis in præsidio erat cōs. Sempronius cum exercitu, ut prætoris minime egeret.

Ad naueis xxv. quibus P. Valerius Flaccus præf.

Hoc etiam loco pro Valerio Fuluium quidam nobis exhibuerunt, sed haud scio quàm bene. Porrò ingens difficultas cum ex re ipsa, tum ex multa nominū confusione, ut uspiam alibi, certe hoc potissimū loco mire moratur lector. Sed ut totum negocium melius intelligatur, hæc ordine annotanda duximus. Primū quidem scire debemus quod Q. Fuluius Flaccus erat prætor urbanus, qui nondum ab urbe mouerat, quod ex hoc manifestum est, quippe qui paulò post à T. Manlio re bene gesta in Sardinia captiuos accipit, & ad finem huius libri cōcionem ad populum habet Romæ. Erant autem eidem Fuluiō datæ xxv. naues ad tutanda urbana littora, sicut M. Valerio Leuino totidem ad oram maritimam inter Brundisium ac Tarentū. Idem Fuluius prætor (si lectionem hoc loco recte emendarunt, qui ex Valerio Fuluium fecerunt) nunc xx. ac rursus quinque, quæ legatos captos aduexerant, accipiens naueis, cum classe L. nauium Tarentū proficiscitur. M. Valerius Leuinus Luceriæ adhuc erat, ut ex prioribus facile colligitur, uidelicet ad quem Philippi legati, semel elapsi, ac deinde rursus capti, deducti erant, opera P. Valerij Flacci, M. Valerij, legati, nō autem opera Q. Fuluij, qui tum adhuc Romæ erat. Decretum autem Senatus post captorum legatorū aduentum, ita habuit, ut Q. Fuluius (si modo & hoc loco recte hoc emendatum) iret Tarentum, resq; Philippi Macedonum regis per L. Apustium, qui tum Tarento præerat, scrutaretur. Quod si certū bellum à Philippo esset, ut continuò L. Apustio in Apulia ad exercitum Leuini relicto, ipse Leuinus in Macedoniam proficisceretur, regemq; ibi bello ueraret, quod etiam factū postea est. Et in hac tota difficultate duo scrupuli lectorem

A Florem detinent. Prior, num *Q. Fulvius* prætor urbanus ab *Urbe* mouerit, quod non uidetur uerisimile, propter causam dictam. Alter, num *Urbs* sua littora nudari uoluerit, ut classẽ *L. nauium Fului*o expleret, quod & ipsum haud credibile, ne tamen interea mentio ulla de alijs ad tutanda urbana littora nauibus paratis. Quapropter *P. Valerium Flaccum* ubiq; legam *Leuini* legatũ. & *xxv. nauis* ab *Hostia* profectas, non *L.* sed tum primũ, posteaquam *Tarentum* uenerint, *L. factas*. Fieri autem potest ut *Liuius* in nauium numero memoria lapsus hæc confuderit, quod *xxv. nauium* ter hic mentio sit, cum *Leuino*, cum *Q. Fulvio*, ac nunc demum cum *P. Valerio* missarũ. Verum ut hac in re nihil temerè affirmarim, ita cum nemine contendere in animo est, sequatur porro quod quisq; uelit.

Et in *Sardinia* res per *T. Manlium* prætorem admini.

Pro prætorem legendũ est. *Q. enim Mutius* prætor erat, nõ *Manlius*, ut uerba sequentia satis declarant. Hoc loco admonendũ etiã, *Caralis* *Sardinia* urbem, mea quidem opinione rectius legi per *r*, post primã syllabam, & *l* post secundam. quanq; id in *Plinianis* codicib. ac alijs quibusdam autoribus corruptum est, ut apud *Claudianũ* de bello *Gyldonico* in his uersibus,

Urbs Libyam contra Tyrion fundata potenti
Tenditur in longum *Calaris*, tenuemq; per undas
Obuia demittit fracturum flamina collem.

B *Caralis* legendum. Nam & *Strabo* *κέραιον πόλις* nominat, nõ *κέραιον*. Sed id erroris etiam accidit in *Σθούελ*, quod latini codices identidem *Stheleus* habent, ut est uidere apud *Horatium*.

In *Pellidos* *Sardos*.

Non memini id nominis apud ullum geographum lectum, sed uel antiquitate abolitum, aut corruptum fortasse, ut sunt in hac decade pleraq;.

Per proditionem accipiendæ *Nolæ*.

Quidam recipiendæ emendarũt, quasi antea quoq; tenuisset eam *Hannibal*, nunc reciperet amissam. sed ego nil mutarim. Post aliquot item uersus: *Mille* ferè passuum inter urbem erant castraq;. uide num, erat, legendum sit, aut *mille* passus: alioqui latinitas non constat.

Nolanis subsidijs fultus.

Idem fultus mutarũt, leguntq; *inultus*, quod nõ probo. Et paulò post, *Ferrũ* non habet: quidam, *ferrum* num hebet? quidam, *ferrum* nunc hebet? Et *rursus*, uix resistitis, emendarũt, uix restatis. ego resistitis malim.

Inter multos nobiles equites *Campa*. acerrimus erat.

Vide an nõ eandẽ rem bis dicat: Inter nobiles equites *Campanos* acerrimus erat. & longe omniũ *Campanorũ* fortissimus eques. fortassis autem & locus mutilus, nisi quis adiectum aliquid auctori contendat, quod uerisimilius.

C Minime scis, inquit, cantherium in fossa.

Ita D. Erasmus Roterodamus praeceptor noster legit. Quidam sis legūt, ut Valla, pro siuis: & in fossam, pro in fossa: sed uerba sunt obscura, ut idem in nobili illo adagionum opere fatetur.

Sed pecuniam in stipendium uestimentaꝝ & fru.

Hanno libro praecedente Magoni eadem de Hannibale exercituꝝ eius uictore conquirente, quid aliud, inquit, si spoliatus, si exutus castris esset, peteres? Sed fortassis importuna haec. Illud autem quod mox sequitur, Nemo omnium erat, quin & uera scribi, & postulari aequa fateretur: quidam mutarunt in, qui nec uera scribi: alij in, qui non & uera scribi. Sed uetusta lectio mihi magis placet, quin & uera scribi.

Hi mores, eaq; caritas patrie per om. ord. ue. ten. uno pertinebat.

Sermo, propter uerbum pertinebat, ualde obscurus, nec ego tamen quid reponendum sit, uideo. Praeterea considerandum lectori quae sit illa lex de qua praetoris Fuluij uerba pro concione, Conducerentq; ex lege praebenda, quae aliquot uersibus praecesserunt.

Illiturgum oppidum ab Hasdrubale ac Magone & Hamilcare Bomilcaris filio.

D Libro quinto huius belli non uno duntaxat loco, Poenorum in Hispania duces referuntur hi: Hasdrubal ac Mago Hamilcaris, Hasdrubal Gisgonis. Quare hunc locum ex illis emendandum puto, atq; legendum ad hunc modum: Illiturgum oppidum ab Hasdrubale ac Magone Hamilcaris, & Hasdrubale Gisgonis filio, ob defectionem ad Romanos oppugnabatur.

Ad Incibili oppugnandum Punici exercitus traducti.

Ab Indibili legendum, ut sit sensus, cum Illiturgum obsidione liberatum esset, punici exercitus ab Indibili rursus oppugnandum traducti sunt. De hoc autem in sequentibus multa. Ipse enim causa fuit mortis P. Scipionis in Hispania, ut lib. 5. huius decados refert Lilius. Idem P. Scipioni filio deinde conciliatus, lib. 7. Sed rursus a Romanis defecit lib. 8. Vitae uero finem inuenit lib. 9. ab initio, posteaquam ipse ac Mandonius post P. Scipionis discessum Hispaniam rursus armarunt, ingentiq; pugna uicti a L. Lentulo ac L. Manlio Romanis imperatoribus, suae temeritatis poenam dedere. Quis autem ita loquitur, ad Incibili oppugnandum? quare insignis hic correctorum dormitantiā notanda fuit.



TAQVE Locrenses frumentum lignaq; & cætera necessaria.

Hic Locrenses aduersus Pœnos fuisse ait, quos priore libro ad Brutios defecisse, ac Romanis portas clausisse ait. Eadem de Crotoniatibus obliuio, quam urbem expugnatam à Brutiorum exercitu ait, præter arcem, hic rursus oppugnari ab iisdem. Non est mihi dubium in tanto rerum gestarum aceruo Liuii memoria lapsum. Nam quod quidam hunc locum excusant, obiter priore libro hæc innuisse, hic uero rem ipsam diffuse scripsisse ut acta sit, mihi non probatur.

L. Attilio præfecto præsidij &c.

Libro secundo lectorem admonuimus, etiam atq; etiam uideat de huiusmodi locutionis genere. Nam ut illic singulari nomini, nõ collectiuo, dedit uerbum pluralis numeri, Mandonius uenere, quia interiectus erat ablatiuus pluralis numeri: ita hoc loco substantiuo singulari adijcit pluralis numeri adiectiua, interiecto inter duos ablatiuos nominatiuo. Porro uerba quæ præcedunt utcumq; intelliguntur, cum ait, Haud dubio in speciè consensu. Quidam codices habent in spem, sed obscuriore adhuc sensu. Similis dicendi modus est lib. iij. ab Vrbe cond. ubi tribuni cum Terentillo agunt. Item hoc postea libro, ubi Andronodorus ac Themistius interficiuntur. Item rursus postea ubi Appius ad portum Syracusanum classem tenet. Et libro quarto decados quartæ in Catonis stratagemate.

Succedenti tanta charitate Hieroni.

Quidam Hieronis in gignendi casu substituerunt, sed nihilo clariore sensu: & est sanè locus ubi grammatici sudare iure possint. Ego in dandi casu malim legere, sed iudicet lector.

Nec inuito Hannibale apud tyrannum manserunt.

Hoc ego de imperatore Hannibale intelligo. Sed id mirum, cum postea tam sæpe sit mentio Epicidæ ac Hippocratis, qui fiat ut iuuenis Hannibalis hic unà cõnumerati, nulla sit mentio? Atqui subit hunc locum corruptum esse, atq; ad hunc legendum modum: Legatiq; ad Hannibalem missi, ac remissi ab eodem Hannibale nobiles adolescentes Hippocrates ac Epicides.

Quem neq; mittere à sacris, neq; retinere possumus.

Nisi suppleamus, ad sacra, quid sibi uerbum retinere uelit, non equidem intelligo.

C Ego magnopere suadeo eodem animo, quo si stantibus &c.

Erat hic locus aliquot codicibus asterisco notatus: offendit fortassis quod in quo, intelligendum erat, scilicet animo crearetis coss. Sed non adeo superstitiose locutos esse eximios autores uel hic locus indicio fuerit.

Admonuit cum securibus sibi fasces præferri.

P. Valerius Publicola in Vrbe fascibus abstulerat secures, extra urbem autem ferebant coss. ut Dionys. Halic. lib. 5. scribit, Livijs uero lib. 2. summissos sanè populo fasces scribit: secures uero demptas, ne uerbo quidè meminit. Admonet igitur hoc loco Octacilius Fabius ut sileat: nam secures adesse & fasces quibus occidere eum possit, si ius ineundi suffragia populo impedire conetur. Admonuit igitur, minitantis est.

Referebant senes sic T. Manlium cum P. Decio.

Pro T. Manlio quidam restituerunt Fabium Maximum, & recte. Nam T. Manlius bello Latino, nõ Gallico, & cum P. Decio patre, nõ filio, coss. fuit. At bello Gallico, quod fuit anno ab Vrbe cond. 458. Q. Fabius Rutilianus, qui Maximi cognomen primus habuit, coss. fuit cum P. Decio P. filio. Hic etiam Fabius à Plutarcho Rullus dicitur.

Deinde occupata dextra tenendo caput.

D *Neq; hoc facile intellectu est, nec uerum credo: quisque enim, ut puto, dextra gladium potius, caput autem hostis sinistra tenere uolet. Id quanquã indignum annotatione uideatur, omittere tamen nolimus, cum Gellius multò curiosius de sursum aclo iaculo aut deorsum disputet, lib. 9. cap. 1.*

Pomponio propratore cum eo exercitu qui supra Sueff.

Ab initio huius anni Pomponius in agro Gallico erat, nec interea eius ulla mentio. Oportet ergo hic intelligere Romam accitum, ac deinde cum coss. Marcello in Campaniam concessisse, cuius tamen rei ne uerbo quidem meminit Livijs. Fortassis autem & nomen corruptum.

Oppida ui capta, Compulteria, Telesia, Cossa &c.

Compulteria ac Telesia etiam superioribus libris mentio. Cossæ in Hirpinis meminit ab initio huius libri, ubi tamen Compfam libentius legerim. Sequentia nomina quàm bene habeant, nihil definio. Porrò post aliquot uersus quod legitur, statiuacq; ad Ardoneas, uidentum num apud Herdoneam legendum, ut sæpe postea. Ardonearũ nemo, quod equidem sciam, meminit.

Tarentum triduo anteq; Hannibal ad moe. ac.

Locus notatus erat in plerisque libris asterisco, desideratur enim nomen Romani præfecti, qui Tarentum tenuerit à M. Valerio missus. Sanè libro priore L. Apustius Tarento præerat. Quidam T. Valeriũ substituere, sed P. Valeriũ maluissim. Ipse Livijs M. Liviium præfuisse dicit, ac Tarentum sub eo captum ab Hannibale præter arcem, quam quinquennio defendit, donec

Q. Fabius

A *Q. Fabius Tarentū rursus ceperit. Nectamen eum Salinatorē fuisse puto, quod nec Liuius uspiā perhibet, sed Macatū. Vtriusq; sanè mentio est lib. 7. huius belli, ubi Cl. Nero cum Salinatore fit coss. Certe Salinatoris descriptio, quam eo in loco exhibet autor, nequaquā Tarenti præfecto conuenit, etiamsi Cicero in Catone, ubi de Q. Fabij laudibus differit, Salinatorem fuisse dicat: sed fieri potest ut aut hoc adiectum sit Ciceroni, aut nominū uariationem erroris causam dedisse, ut hoc uariatum sit in Romana historia, quemadmodum in alijs plerisq; accidisse satis certo constat.*

Hexaphoro Theodorus ac Sofis.

Hexapulo recte emendarunt alij. At nomina partium urbis Syracusarū apud Liuium & hoc & sequente lib. non usque adeo cum Thucydidis descriptione, quam is habet libris 6. ac 7. conueniūt. Et hoc loco Tincham quidam habebant codices, cum libro sequēte Thicam: in Thucydide Sycae nomē est, quam Athenienses muro celerius Syracusanorū opinione circunsepserant. Fieri tamen potest, ut Hieronis tempore multa adiecta, mutataq; fuerint, quæ ex his duobus autoribus, facta comparatione, aliqua ex parte satis apparent.

Qua pedibus tractum, non insidentem equo rel. tyr.

Sententia est tyrannica, cuius sensus utcunq; percipitur. at illud, pedibus tractum, subobscurius est. Obscurum item illud quod ad finem orationis Andronodori, ne efferatur res.

B *Qui auidos atq; intemperantes plebeiorū animos.*

Quidam emendauerant, publicanorū animos, sed mihi prorsus displicet.

Sed tamen Hieronis potius quàm Hieronymi auto.

Hæc uerba, etsi simpliciter quidem, & (ut ita dicā) absolute intelligi possunt, uidentur tamen nescio quod desiderare uerbum, ut, ostendere, uel quid simile, ut sit sensus, Hieronis auctoritatem potius quàm Hieronymi in socijs legendis sequendam esse: id ostendere amicitiam L. annis feliciter expertam. Nam illam disunctam non admodum intelligo. Sed iudicent hæc doctiores.

Mittiq; cum eis legatos ad rem confirmandam.

Cum eis, intelligo Romanis legatis, quos Marcellus Syracusas miserat. nisi coniungas ad rem confirmandam cum eis, præcessit enim Romanis. Sed est durum tamen utrunq;. Item quod statim subneclit, Præsidium finibus suis orantes: à quo infestarentur dicere omisit Liuius, rem magnopere necessariā ad sequentia intelligenda.

Capti ad Thrasimenum inter Rom. auxilia.

COSS. C. Terentio, ac L. Aemilio ante Cannensem pugnam, Hiero mille sagittarios ac funditores Romanis miserat. Itaque ego legerem, capti ad Cannas, nisi quis cum Sempronio etiam aliquos missos intelligat, quod tamen

C *Liuius nusquam commemorat. Accedit adhæc, quod non ita multo post Hiero mortuus est, ut illos sub Hieronymo, non Hierone meruisse, recte intelligi queat.*

At militares penè omneis, partemq; ma.

Quidam pro at, restituerunt ad. Ego apud malim, & nomen Romanum potius, quàm Romanis.

Tunc Romanus exercitus ad Olympium.

Ὀλυμπίον est apud Thucydidem lib. 7. quare Olympieum legendum.

In eas quæ procul erant naueis, saxa ing. pon.

Verisimilius erat in propiores naueis saxa ingenti pondere missa: in eas uero quæ procul stabant, leuiora tela: nisi propinquitas effecerit ut interiores naues tutiores essent ab icibus. Sed lectoris esto iudicium.

Aditusq; ibi & à legatis Hippocratis.

Quidam mutarūt in accitus, sed nihilominus obscuro manente sensu. Illud etiam, ibi, quàm bene cum accitus connectatur, aliorum esto iudicium.

Duplici facile numero classe aduentantib. Rom.

D Carthaginensium classis erat nauium quinque & quinquaginta. Romana xxx. quinquercmiū, ut paulò antè dixit autor: hic uero dicit Romanam classē facile duplicem ad Carthaginensem. Oportebat igitur aliam classē esse, de qua tamen nihil meminit, quod sciam.

Et nec liberorū etiā suorū causa parentes sanxisse.

Moguntinus codex habet, Et hoc liberorum etiam suorū causa. uerum ex neutra lectione sensum percipio. Valla ait eum de T. Manlio Torquato loqui, additq; sanguine. Inde quidam ita legunt, Et nece liberūm etiā suorū eam legem parentes sanxisse. quæ lectio mihi placet.

Ipsæ hybernacula v. mill. pass. hexapylo (Leontiam uocant.

Leontiam distare uult, ut puto, ab Hexapylo v. mil. pass. At Thucydides lib. 6. Leonta uocat locum, ut puto, sex septēmie stadijs ab Epipolis distantem, quod uerisimilius est in obsidione, nisi non sit idem locus.

T. Valerio legato.

Priore libro admonuimus pro hoc Valerio non recte Q. Fuluium substitutum. Cæterum nunc Q. nunc T. in quibusdam libris inuenitur, in quibusdam P. quod equidem malim.

Arx erat munita, & eò conuexerant antè frumen.

Cum attentione hoc legendum, nam lubricus locus est. Nescias enim Romani ne an Carthaginenses arcem possederint. Nam si Carthaginenses possidebant, quomodo circa omnia plena hostium erant? qui Romanum agmen uidelicet incurauerant. Sin Romani habebant, quare relinquebant? præsertim cum munita esset, ac eò multum frumenti cōuectum. Scio alijs modis responderi posse,

A posse, sed ut lectori cordato satis facere queam, nescio.

Octauum iam annum sub hostium potestate esse.

Hic est annus quintus huius belli: quapropter si Saguntum primo huius belli anno captum est, ut lib. 1. docet Liuius, non octauum, sed quintum legendum. Sin priore anno captum Saguntū quàm hoc cepit bellum, quod Polybius scribit, sextum legendum est. Id erroris in numeris facile accidere poterat, sed mirum non animaduersum, quod tam facile redargui potuit.

Et in Iouis Vicilini templo quod in Compsano ag. est.

Quis sit Iupiter Vicilinus, aut cur ita dictus, non equidem memini. Sed & Compsano quidam in Cossano mutarunt, quàm bene ipsi uiderint.

Vt proditis pro septemuirali iudicio esset.

His uerbis & quæ sequuntur aliena uidentur, & quæ præcedunt male coherere, et prioribus & hisce iam positis. Nam quis intelliget hæc? Tum postquam & c. turpius uideatur, cum non præcesserit, cum? Porro septemuirale iudicium quod sit, cum Sabellico ingenue fateor me nescire. Quidam pro proditis, legunt proditionis, ut codex Moguntinus. Veteres etiam aliquot codices habebant proditus. uerum nullus inde sensus est. Septemuirorum epulonum mentio apud Fenestellā, sed nihil de iudicio proditionis. Laurentius Valla hoc loco mirum in modum uelatus est, at nihil promouit.

Et non uocitent. documentum autem dicant.

Et hunc, & præcedentem locū mutare lectione conatus est Sabellicus, cum neutrum intelligeret, pro septemuirali, semetuirali: dicant, pro ducant, legens. Hic uero si particula, autem, sequatur uerbum, documentū, præcedatq; colus, nullus prorsus erit sensus. Ego uero totum locum ita legerem: Cum illud potius agendum atque eis cogitandum sit, si quo modo fieri possit, ne qui socij à populo Rom. desciscant, neque uocitent documentum, neq; grauius in eum ducant statui oportere, si quis resipiscat.

Oppidum Aternū expug. amplius LXX. mill.

Sabellicus hunc locum recte tractat, Cliternū, & septem millia, restituens. nimis enim magnus erat numerus LXX. millia hominum. Quamq; fluminis Aterni mentio apud Plinium lib. 3. tribus in locis. Fieri autem potuit ut eiusdem nominis cum fluuio oppidum olim esset, ut sæpius inuenitur.

Cum Aequimelio Iugarioq; uico.

Omnes aream qua Sp. Melij domus steterat, æquimelium appellant: certum autem etymon non adijciunt, neque Liuius libro quarto, neque Valerius Max. libro sexto. Varro adijcit libro quarto: ait enim: Aequimelium, quod æquata Melij domus publice, quod regnum occupare uoluit. Possset & hoc mirari aliquis, si Aequimeliū area erat, ut uocat Valerius, qui ardere potuerit. Sed hoc pusillum.

C Syphax erat rex Numidarum.

Atqui quod hic ponit, non æque pusillum, neq; quo pacto uerum sit, facile iudicatu, cum libro octauo huius belli Liuius contra Massæsyliorum regem esse Syphacem dicat. Massæsyli sanè ad Molochath flumen sunt, Numidæ ad Ampsagam: & illorum regia Siga, ubi Syphax aditus à Scipione: horum autem Cirtha, postea colonia Romana. Non eo tamen inficias Numidarum nomen longe patere: tum Masanissam postea capto Syphace, Massæsyliorū dominum factum, at nos de præsentis disputamus tempore. Sed illa magis dubia, quæ de Masanissa continuò post subnectit Liuius, Syphacem ab eo ingenti uictum prælio in Maurusios Numidas, qui extremi prope oceanum ad uersus Gadeis colant, fugisse. Intelligit autem Mauros & Tingitanam prouinciam. Propius igitur Carthaginensis aliqua saltem parte Gala regnum fuisset, longius uero Syphacis, quod mihi suspectum. Sed libris sequentibus latius ea tractabimus.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII
TERTIAE DECADOS LIB. IIII. FINIS.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS

LIBRVM QVINTVM HENRICHII GLA-

D REANI ANNOTATIONES.



VINTVS Fuluius Flaccus, App. Claudius III. cōsula.

Hoc loco qui tertium Q. Fuluius apposuerunt, nō Claudio, recte fecere. Nam non ita multò post in creatione noui pōtificis max. de Q. Fuluius dicitur, qui & ante bis cōs. & Censor fuerat.

M. Iunius Syllanus inter cōss.

Quid sibi uelit, inter cōss. hoc loco non planè intelligo, etsi paulò post repetitum. Fuit autem hic in Hetruria prætor, quæ ei sorte uenit, quod postea etiam libro sequente ab initio ferè innuit Liuius. Quare legendum M. Iunius Syllanus Hetruriam, atq; ita etiam Valla.

Populus seuerior uindex fraudis erat.

Mira hoc in loco confusio horum nominum, populus, plebs, concilium plebis, tribus, Latini, & comitia. Nam cum primum dixerit, populum uindicem fraudis fuisse, statim concilium plebis subiungit. Et priusquam tribus in suffragium uocarentur, tribunos populum submouisse dicit. Deinde, Latinos suffragium ferre, populum reclamare, publicanos cum populo iurganteis facit. Item in relatione cōss. ad senatum, eadem nominum confusio. Quomodo enim hæc congruunt, Plebis concilium ui turbatum, suffragium populo per uim extortū,

concilium

A concilium plebis sublatū, cōtra populum Rom. aciem introduclam, tribus prohibitas in suffragium uocari, populum Rom. uictum, comitia sublata?

Et fortè in cornu primus sedebat Casca.

In cœtu quidam legunt, sed utrunq; intelligitur.

Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus.

In L. Lentuli locū, qui pontifex max. fuerat, hic Cornelius Cethegus suffe-
lus quidem erat pontifex, sed nō maximus pontifex, quare nō est contradiclio.
Hodie in simili re haud scio quàm similiter agatur.

Dum ne quis eorum munere uacaret.

Moguntinus codex habebat in dandi casū, muneri. Sed ut ingenue dicā, neu-
tra lectio mihi satis facit, ideoq; ea de re lectori considerandum.

Aliquantum intra mcenia includitur.

Hunc alij asterisco notarunt locum, & recte, nam mutilus est haud dubie.

Et præaltis rupibus, & ab ipsa urbe muro.

Hæc uerba ut quadrent cum ijs quæ aliquot deinde uersibus interpositis,
postea subiicit: Et est (inquit) non altitudine, ut cætera tuta, sed loco plano posi-
ta. iudicandum lectori offero, nam ego sanè hæsito.

Hanno ab Cominio Cerito, quo nunciata cla.

Hanno frumentatū ierat, ut puto, in Samniū, quod Beneuento proximū est.

B At Cominio Cerito, quo pacto dictum sit, nō intelligo. Cominij quidem in Sa-
mno lib. 10. ab Vrbe cond. multa mentio est, sed Cerito additū nos turbat. Co-
minos ex Aequicolis interiisse ait Plin. lib. 3. cap. 12. at nihil ad hunc locum.

Quod urbi tam propinqua tertium annū impunita defect. ef.

Atqui post L. Aemylum ac C. Terentiū, sub quibus Capua post cladem
Cannensem defecit, hi quinti sunt coss. Tres igitur anni præterierunt, quare
legendū puto uel quintū uel quartū. Porrò hæc locutiones per accusatiuos in la-
tina lingua sæpe fefellerunt, ut de lustritempore alibi admonuimus.

Deducit Pcenū in locū pacis Gracchū adducturus Mag.

Hic locus nō abs re asterisco notatus est in plerisq; codicibus, est enim per-
quam obscurus. Nam de quo Pœno loquatur uix intelligi potest, cum continuo
Magonem subiiciat, quasi de alio locutus sit. Atqui de Hannibale dici nō po-
test, quod exanimem Gracchum Mago ad eum postea mittat. De Hannone
autem hic nulla mentio. In hoc nobis notatus, ut studiosius exemplaria uetusta
inspiciantur.

Ad quam perficiendam ipsius Gracchi opera opus esset.

Quandoquidem cætera per infinitiuos proferuntur, ego hunc locum ita le-
gerem, Ad eam perficiendam ipsius Gracchi opera opus esse, quo modo sæpe
Liuius loquitur: quanquam nihil definio.

Reliquum autem quid esset, paucis à multitudine &c.

Sed & hoc loco, esse, malim q̄, esset; uerum lectoris iudicio relinquo.

C Ad Vulturni ostiū ubi nunc urbs est, castellum cōmunitū.

Incertum quæ illa sit urbs, incertius quod de duobus castellis maritimis subneclit. Fabius tertio suo consulatu, cum in T. Posthumij locum subrogatus esset, Puteolos ex autoritate senatus cōmunierat, ut libro præcedenti non multis folijs ab initio tradidit Liuius. Præterea in hoc libro non ita multo post, App. Claudius Consul D. Iunium ad ostium Vulturni, M. Aurelium Cottam Puteolis præposuit, qui, ut quæq; naues ex Hetruria ac Sardinia accessissent, ex templo in castra mitterent frumentum. Quare si de Puteolis loquitur, de Fabio procedit, imò ibidem Liuius continuò subneclit, App. Claudiū ad Capuam regressum, collegam Q. Fuluium inuenisse, Casilino omnia importantem, molientemq; ad oppugnandam Capuam. Quod si uerum est, neq; hic aliquis est historiæ defectus, uidetur uerè dubium de quo castello loquatur Liuius ad Vulturni ostium. Casilinum enim ad Vulturnum quidem erat, sed non ad eius ostium.

Quodq; Minutius prætor ex Hetruria coëmerat.

Alij Mutium emendarūt, quod Q. Mutius Scaeuola prorogatū imperiū habebat in Sardinia. At non opinor illum è sua egressum prouincia, tam graui bello in Hetruriam emptum isse frumentū. Paulò antè C. Seruilius legatus ex autoritate patrum à P. Cornelio prætore in Hetruriā ad frumentū coëmendum missus erat, qui Tarentinæ arci, onustis frumento nauibus, succurrit, quod autor antea scripsit. Verisimile est frumenti aliquid Hostiæ mansisse ad Capuæ obsidionem, quod Seruilius legatus, non Q. Mutius prætor ex Hetruria coëmerat, cum alioqui ab eodem Mutio nuper missum narretur. Ipse lector Liuij uerba pensitet ut sese sequantur, & inueniet nō temerè hunc annotatū locum. Sed ut finem inueniat hæc dubitatio, quando M. Iunius Syllanus Hetruriæ prætor erat hoc anno, ut patet ab initio huius libri, ubi noui creantur magistratus, pro, Minutius prætor, legendum puto, M. Iunius prætor.

Ad portum Trogillorum.

Τρωγίλων locum ad septentrionem Syracusis, Thucydides lib. 6. non ita longe à fine describit. Liuius hic pluratiuo numero protulit, si codex non fallit, et portum ait, quod non intelligo.

Cum cæteræ admotæ, pluribusq; scalis in mu.

Cæteræ, scalæ intelliguntur: dura sanè compositio, cum sensus non sit admodum obscurus.

Quippe ad Epipolas frequentem custodijs locum.

Επιπολάι apud Thucydidem eodem libro, locus præruptus urbi imminens. Liuius duntaxat nominat.

Partium sensu non satis pertendente in omnia.

Quidam pro pertendente, emendarūt pertinete: sed nō placet: tolerabilius erat

A erat si pertingente emendassent, ut *Valla* fecit, sed pertendente, quod ueteres habent codices, placet, & sensu partium coniungendum est.

Epicides ab insula, quam ipsi *Nafon* uocant.

Idem Nasson duplici ff exhibuerunt, sed *Nafon* legendum. Nam *Dores* (cuius gentis & *Syracusani* sunt) $\nu\alpha\sigma\sigma\upsilon$ pro $\nu\acute{\iota}\sigma\sigma\upsilon$, ut $\pi\alpha\gamma\alpha\lambda\acute{\iota}$ pro $\pi\upsilon\gamma\upsilon\upsilon$ dicunt, & mille similia, ut uidere est apud *Theocritum*. Insula autem illa à cætera urbe muro separabatur, quem post tyrannorum cædem diruerant: in ea erant horrea publica, eratq; in arcis modum ædificata.

Ad *Euryalum* signa referri iussit.

$\Delta\rho\gamma\upsilon\lambda$ & est apud *Thucydidem*, quo loco ascenditur ad *Epipolas*. Tu ut de an cum *Liuij* uerbis congruat.

*Castra*q; pro muro tectis parietum septa.

Quidam transpositis aliquot uerbis ita legunt, *Castra*que tectis parietum pro muro septa, manente nihilominus sensus obscuritate, cui ego sanè mederi nequeo.

Cum c. nauibus post paucos dies redijt.

Hic c. ait nauicis, post paululum uero cxxx. nauis longas, lxx. onerarias memorat, duplum sanè numerum de eadem utique profectioe, ut puto. Nam eum bis redijisse, mihi non fit uerisimile, etiamsi *Liuius* dicat, iterum cum classe profectum.

B Multo tamen maior uis pestis *Pœnorum* ca.

Meritò hæc asterisco notata sunt in quibusdam codicibus. Nam ea ita sonant quasi *Romanorum* hostes diu circumfederint *Syracusas*, cum contra de *Romanis* hoc uerum. Illud quoq; Ex hostium exercitu, incertæ est distinctionis, ad priorane, quæ mutila sunt, an ad posteriora referendum.

Alterum quindecim ab ostio.

De quo ostio loquatur, non admodum clarum. Quanquã non ita multò post ubi *Merico* custodiae euenit portio, ita ait: Partibus diuidendis ipsi regio euenit ab *Arethusa* fonte usq; ad ostium magni portus.

Et quanq; tot mala urgerent, negarent fortu.

Et hic locus in aliquot codicibus asterisco notatus est, fortassis quod dicendè genus temerè hoc contextu mutatum est. Exercitum autem *Siculorum* extra urbem *Syracusas* fuisse, præcedentia satis indicant. Cauda etiam orationis *Syracusanorum* quam inter se habent, apud me male tinnit.

Qua quisq; terra, quisq; mari uenerit.

Quò quisquis terra, quisquis mari uenerit, recte alij emendarunt. Locus sumptus ex *Iliados* ù. ubi *Hector* gloriam suam auclam putat, si occiso *Aiace*, olim de ipso dicatur, hic sepultum *Aiacem* ab *Hectore* occisum. Tractat eundem locum *Gellius* libro 15. cap. 6. Sed & hæc oratio *Syracusanorum* ad

C Marcellum, aliqua parte defecta uidetur: quare in aliquot codicibus asterisco notata. Hæc enim uerba, Incolumesq; Syracusas familiae uestræ, non bene coherent superioribus.

Remulco quadriremis trahi.

Remulco Grammatici exponunt, scaphis remigio actis. Quod si uere dicunt, quid igitur sibi uult hic, quadriremis? nisi quis intelligat remos quadriremis nauis. Remulco enim trahitur nauis quoties alteri alligata, non suis remis agitur. Aptum exemplum est lib. 7. quartæ decados, ubi Rhodij aduersus Hannibalem in mari Pamphyliaë feliciter pugnant. Contemplatus (inquit Liuius) Eudemus hosteis claudas mutilatasq; nauis apertis nauibus remulco trahenteis xx. paulò amplius integras abscedenteis &c.

Ad urbem nomine Anitorgin.

Multa sunt nomina urbium apud hunc autorem, præsertim Hispaniarum, quæ non temerè apud alios reperias: uel, ut multi existimant, quod pleraq; defecerint longa ætate oppida: uel, ut ego puto, corruptis temporū iniuria codicibus: quanq; utrunq; in causa esse potest. Hoc in uniuersum uno uerbo dicere uolui, ne lector nimium se torqueat, quemadmodum stulto mihi accidit. Neque enim inuideo alijs si carpento illuc uehantur, quò pedibus ego iter feci. Anitorgis urbs Sueffaniq; populi eiusmodi sunt, ac alijs in locis multa his similia.

D Anno octauo posteaq; in Hispaniam uene. Cn. Sci.

Hic septimus est annus huius belli, non octauus. Nam anno primo P. Scipio cum Sempronio Longo c o s. fratrem Cneium in Hispanias misit, ut ipse autor lib. 1. huius belli tradidit. Itaque postea non ita longe ab initio Martiane orationis, legam: Ne u se, neu inuictos per septem annos in ijs terris milites suos &c. facilis autè est lapsus ex numero VII. ac VIII. ut in alijs multis.

At id, quod ne timeatur fortuna facit, minime tuti sint homines.

Quidam emendarūt, ad id: & sunt, pro sint, sed nihilo clariore facto sensu. Tum quæ sequuntur uerba, non minus obscura sunt. Quæ ideo admonemus, ut exemplaria uetusta eò diligentius inspiciantur.

Pars ignis escas stramento arido tectis iniiciunt.

Dura est hæc compositio, nec facile dixerim quàm displiceat, sensus tamen intelligitur.

Ad triginta septem millia hostium caesa.

Valerius Max. lib. 1. cap. 6. triginta octo millia prodidit: in utrius auctoris codice sit error, non facile pronūciauero, quanq; res non est magni momenti.

Libyphœnicis generis Hipponatis.

Quidam Libyphœnicum legunt, ut generis cum Hipponatis coniungant, quasi qui ex Hippone natus fuerit. At ego Hipponates (quanquã uarie hoc legitur, Hippocinatis, Hipponiates &c.) nominatiui casus esse puto, & no-

A men Mutines esse. Itaq; coniungenda Libyphœnicis generis. Fertiliſſimū autem ſolum tenebant Africæ Libyphœnices inter Bragadam ac Syrtim par-uam, quo loco eos etiam conſtituit Ptolemæus.

Non tam Mutinis conſilio q̄ fiducia magis auſi egredi.

Hoc, tam, ſublaturuſt propter aduerbium, magis: uult enim dicere, eos nō magis conſilio Mutinis exiſſe, q̄ eius fiducia, quæ res illis tandem male uer-tit. De Himera autem dubium, quem fluuiū dicat. Ego eum exiſtimo quē Pto-lemæus eo in loco ponit, ubi alij Gelam. Eſt etiam Himera quem Strabo ait per mediam fluere Sicilia, exonerariq; in mare ad occidentalem inſulæ partē. Me-minit & Plin. lib. 3. cap. 8. Ac de hoc ſuprà ab initio lib. 4. huius belli mentio eſt, ubi Hieronymus tyrannus legatos cum mandatis Carthaginem miſit.

COSS. creauit Cn. Fuluium Centumalum, & P. Sul.

Omnes Liuij codices abſq; numero Centumalum ponunt, ut ſit alius ab eo qui COSS. fuit anno ab Vrbe cond. 525. Sulpitiū uero hunc quidam Seruiliū, quidam Galbam cognominant, Quinti filium. Galba certe ab initio libri ſe-quentis dicitur.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII
TERTIAE DECADOS LIB. V. FINIS.

B IN T. LIVII TERTIAE DECADOS
LIBRVM SEXTVM HENRICHI GLA-
REANI ANNOTATIONES.



VIBVS P. Cornelius proprætor in Sicilia præeſſet.

P. Lentulus prætor Sicilia, qua uetus regio erat, ab initio prioris libri dicitur: hic P. Cornelius. Niſi, quod exiſtimo, idem P. Cornelius Lentulus fuerit, ut L. Corne-lius Lentulus huius anni prætor in Sardinia. At P. Cor-nelius Sylla prætor urbanus prioris fuit anni. Fuiffent er-go priore anno quatuor P. Cornelij in magiſtratu. Sylla prætor urbanus, Lentulus Sicilia, Scipio Hispaniæ imperator cum Cn. fratre, ambo ibi oc-ciſi, & Scipio P. filius ædilis curulis, cum ei ad petendum nondum legitima ætas eſſet.

Siciliæ Græciæq; ora cū legionib. claſſibusq; quib. præerāt decretæ. Decretæ habent omnia, quæ ego uiderim, exemplaria: at decreta legendum puto, quia ora præceſſit.

C. Sempronius Bleſus die dicta Cn. Fuluium.

Hic libro 7. huius belli non ita longe ab initio, Cn. Sempronius nominatur in plerifq; exemplarib. ubi à Q. Fuluiο dictatore in Hetruriam mittitur.

M

G

Nam cum bis pecunia anquisisset, ter. ca. se anq. dic.

Quia in plerisque codicibus deerat nominatiuus uerbis, anquisisset, & diceret, ideo alij adiecerunt, tribunus, ut omnino de Sempronio intelligamus, ut locus ita legatur: Nam cum bis tribunus pecunia anquisisset. Si hoc exemplarium auxilio fecerunt, probatur: alioqui ad hunc modum multos dubios locos facile emendauerimus: sed ego non ausim mihi tantum indulgere, praesertim in tam eximio autore, quod tamen nostra aetate multi non uerentur.

Etiam si se utrinque in hostem uertat.

Et quae praecedunt uerba, & quae sequuntur, obscura sunt. Haec etiam, ut ingenue fatear, a me non intelliguntur.

Elephanti per media castra tradentes.

Videri poterat in accusandi casu elephantos, & fecisse pro facerent, a Liuiio scriptum, sed legi etiam in nominatiuo potest, ut tamen coniectatur ad priora, quasi diceret, et elephanti cum faceret. Caeterum post facerent non colum, sed ~~ωω~~ ~~σιν~~ ~~πον~~ ~~α~~, ut Graeci uocant. Porro quae sequuntur uerba, uarie a diuersis leguntur. Ego autem ea ita legerem: Immissum ab Hannibale (et habuit aliquem gnarum latinæ linguæ) qui iuberet coss. uerbis &c. Vel ita: Immissos ab Hannibale (et habuit aliquot gnaros latinæ linguæ) qui iuberent coss. &c.

Duci Gladio, quod iam ante praesidij causa fecerat castell. iussit.

D Illud, Gladio, quid sibi uelit, non equidem comminisci poteram. Codex Moguntinus Casilinum legit: sed id non placet, cum in Romanorum potestate iam esset Casilinum a Q. Fabio nuper receptum. Haec ad eum modum quidam emendant temere, cum historiae ordinem memoria non teneant. Non est dubium quin Galatiam legendum sit, cuius meminit paulo ante cum Hannibal ueniret Capuam & Tifata. praeterea paulo post, cum post captam Capuam Atella ac Galatia recipiuntur. & hic nunc. item lib. 3. huius belli, ubi Marcellus Nolam proficiscitur. Valla legit, duci ad id, quod iam ante &c.

Per Sueffulam Allifanumque & Casinatem agrum.

Haec Sueffula libris tertio ac quarto prope Nolam nominatur, neutique in eo tractu qua a Capua Romam itur. Sed in his itineribus nomina corrupta aliquot locis, nemini dubium.

Inde praeter Interamnam Nequinumque in Freg.

Nequinum in Umbria oppidum, ubi nunc Narnia est, inquit Liuius lib. x. ab Urbe cond. Sabellicus Aquinum restituit, quod mihi quoque placere potest, donec melius inuenero.

Inde in Pupiniam exercitu demisso.

Id nominis non memini me usquam legere. Item statim post aliquot uersus, Media Urbe per Carinas Exquillas contendit. ego Exquillasque legendum puto cum coniunctione. Nam duo fuere loca, siue Urbis regiones, Carinae & Exquillae.

His

A His motus ad Turiam castra retulit.

Nec hoc nomē usquam prope Romā ad VI. millia passuum inuenio. Nam quod in Hispania est, nihil ad hunc locum. Capenates quoque qui sunt, non ferme memini me legisse. Quanquam sunt qui ex fragmentis Catonis legant, Capenam & oppidulum & syluam in Auentino fuisse monte. Idem sensisse & Fabium Piclorem & Sempronium. His fidem det quantam quisque uelit, nam ego nihilominus hæreo.

Aeris acerui, cum rudera milites religione inducti iacerent.

Quid sit rudera iacere, ego planè non intelligo, præsertim si de militibus Hannibalis loquaris. Sin de alijs posterioribus annis militibus, non uideo quomodo inducti religione, qui templum non spoliarunt. Sed lectori id iudicandum relinquo.

Iterque eius ab Reate Cupilijsque, & ab Amiterno.

Etiam atque etiam operæ precium est hoc in loco considerare huius itineris descriptionem. Quomodo enim ab Amiterno orsus est, qui paulò post, & ad finem rursus, eò uenisse dicatur? Cutilijs autem ex Plin. ac Dionys. legendum. Forulorū meminit Vergilius lib. 7. Aeneidos de Clauso, qui locus hunc iuuare potest. Nō est apud me dubium hos locorū errores temporū iniuria accidisse: neque uerisimile est Liuium Italiæ locatam male tenuisse.

B Id unum ex ijs qui sibi rem aperuisset arguere se para. esse.

Considera penitus hoc genus dicendi. Se paratam esse, inquit, id unum arguere, sed unum, masculini accusatiuus est, ut paulò antè genitiuus, scortum transfugarum unius. Verum hoc leuiculum, & uix dignum annotatione.

Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis.

Libro tertio nō ita longe ab initio hoc tradidit Liuius, ubi tamen nō Vibius, sed Subius Virius legitur, quod ibidem quoque admonuimus.

Mortuum Appium Claud. sub deditonem Capuæ.

Ipse Liuius hoc dicturus est paulò post, ubi de Campanis dubitat senatus, posteaque Q. Fuluius ab ijs accusatus est. Continuo autè post de Taurea, in his uerbis: Sed cum inter cæteros ad palum deligatus. uide ut participium suspensum est. Hæc etsi obiter à me notantur, suspicionem tamen dare possunt, deesse aliquot locis uerba, quæ diuinare absque uetusti codicis auxilio nulli reor possibile, tantū abest ut mihi. quidam delegatus participiū, in delegatur uerbū mutarūt.

Ita ad LXX. principes senatus interfecti.

Sic omnia habent exemplaria, quæ quidē nos uidimus: sed legendū LXXX. Nam Virium secuti sunt XXVII. Calibus autem occisi XXV. Teani XXVIII. Summa, LXXX.

Multitudo alia ciuium Campanorū uenundata.

Mira diuersitas apud Liuium de pœna Campanis iniuncta. Hic enim ue-

Cundatur multitudo ciuium: paulò post, urbi frequentandæ multitudo incolarũ, libertinorumq; & institorum opificumq; retenta, quanquam ciueis meritò quis ab iam enumeratis separet. At nõ ita multo post, Multitudo, inquit, ciuiũ dissipata in nullã spem reditus. Rursus eodem hoc libro post Syracusanorũ que relam, cum & Campani auditi essent, diuersa senatusconsulta Liuius recitat, his, quæ hic narrat, non omnino conuenientia.

In Aufetanis (is locus est inter op. Illiturgim & Mentiff.

Aufetani populi sunt citerioris Hispaniæ, ut præter Plinium, Cæsarem, Ptolemæũ, reliquosq; classicos scriptores, ipse autor lib. 1. huius belli testatur. At Illiturgis ac Mentiffa longe hinc oppida sunt prope flumen Anam, ac prope Castulonem Bæthycamq; Oretanorũ, ut ex Plinio Ptolemæoq; patet. Quare uidendum num Oretani pro Aufetani legere uelis.

Nec tamen quem mitterent satis constabat.

Mirum uero si Cl. Nero iam missus nõ satis dignus erat imperio, qui prætor, & item ante Capuam exercitus parti præfuerat. Nec obstabat absentia, cum absenteis sæpe non modo imperatores, sed coss. etiam crearint. Licuit igitur aut ipsum Claudiũ, aut T. Fonteium, aut deniq; si inuidia non obstitisset, L. Martium facere imperatorem.

Iussi deinde inire confusum suffragium.

D Confusum suffragiũ nõ facile reperias apud Latinos autores, quapropter quidam ex hoc loco sustulerũt. Budæus tamen, immortale Galliæ nostræ ornamentum, in annotationibus in Pandectas de testimonijs confusis hoc exemplum allegat, ut in uulgatis habetur codicibus, præterea tamen nullum adfert.

Tribuni pl. ex autoritate sen. ad pop. tulerunt.

Notandus est hic etiam locus. Negatum ait Marcello ut triumphans iniret urbem, sed ouans. Deinde per tribunos plebis ad populum latũ ex senatus autoritate, ut ei imperiũ esset. Postremò eum in monte Albano triumphasse. Apud Dionysium quid simile legitur, apud hunc non item, ut opinor.

Alter Nassum, quodq; ibi præsidij erat, prodiderat.

In primo Syracusarum introitu, de quo superiore libro, nulla est mentio Sossidis: suspicor diuersis locis diuersos secutum Liuium autores, oblitum uidelicet hoc antea ab se non esse scriptum, ut propè necessum fuit in tanta rerum mole. Porrò quod subiungitur: Et quingena iugera agri Sossidi data in agro Syracusano. si de solo Sosside, ut puto, intelligitur, quingenta legendum est, non quingena: nam Merico Hispanisq; qui cum eo transierant, alibi in Sicilia datus est ager. itaq; neq; distinguendum ante Sossidi. Quidam etiam uetusli codices pro Sossidi habebant, agri solidi. sed non placet.

Id M. Cornelio mandatum.

Toto hoc libro, maxime in sequentibus, id nomen suspectum. Libro quippe precedente

A præcedente, prætori Siciliae P. Lentulo prorogatum imperium erat. Hoc uero anno Siciliae prætor fuit C. Sulpitius: proprætor autem P. Cornelius, ut ab huius libri initio ipse dixit autor: sed idem est P. Cornelius Lentulus, ut nos ibidem admonuimus. Quare & hoc loco, & in sequentibus, pro M. legam P. Nam in magistratuum huius anni catalogo prænomen Marcus non reperias. Cæterum Belligenem hic nominat, cuius nomen priore libro, cum Mericus ad Romanos transitionem pararet, omisit.

Ad eos Murgentiæ descuerunt terræ.

Alij Murgentiæ emendarunt, sed Murgantiæ per a in secunda syllaba legam. Murgantinas autem terras ait, non Murgantiam: quia Murgantia antea ad Pœnos defecerat, ut priore libro habetur: quanquam paulò post rursus expugnata à prætore Romano P. Cornelio Lentulo.

Et M. Valerium absentes coss. dixerunt.

Ego absentem legam, non absentes, ut referat Valerium: nam Marcellus Romæ fuit, ut sequentia satis cõuincunt. Et Valerio adiiciendū 11. quippe qui ante etiam fuit coss. ut Liuius lib. 9. & 10. huius belli ostendit.

Eludant nunc antiqua admirantes.

B Quidam, mirantes legunt. Cæterum si mirantur, nõ utique eludent. Sed pusillum hoc.

Fortè ita incidit, ut comitijs perfectis nuncia. T. Octa.

Hæc ita referuntur, ut qui legat, putet nescio quæ subsequi, quæ tamen non sequuntur. Est etiam in alijs libris locus notatus asterisco.

Confirmarunt autoritatē suam minore cum uerecundia.

Sensus est perquam obscurus. Quidam post uerbum, confirmarūt, distinctionem faciendam censent. Nonnulli accusatiuū in ablatiuum mutarunt autoritate sua: sed, ut ingenue fateor, sensum uerum non percipio. Qui post uerbum, affirmarunt, distinctionem posuerunt, hunc sensum elicuerunt: Aetolos se nimis impudenter laudasse, Romanorū autem uim uerè extulisse: hæc utraque ad cõmouendos Aetolos iuuisse, quanquam nihil æque mouebat atq; Acarnaniæ potiunde spes. Sed hæc atq; sequentia mutila esse suspicor.

Hi Thracum & Illyricorum reges.

Vide hunc loquendi modum. Thracum Pleuratus erat, Illyricorum Scerdiletus, quem Polybius Scerdilaidum uocat. Eosdem nominabit libro sequenti, & libro primo de bello Macedonico.

Et Oleniadas Naxumq; Acarnanum capt.

Quidam Oleniada emendarunt, quod Olenus etiā in Aetolia. At nihil hoc ad Acarnanas: ideoq; ego Oeniadas legendum puto. Οὐρακλας enim

C *Acarnanum urbem, & apud Strabonem & Thucydidem reperias. Ita in posterioribus quoque; Liuij uerbis: Aduersus quos Acarnanum gens & uiribus impar, & iam moenia Oleniados Naxumque; amissa cernens. legendum puto Oeniadon: & facilis in his lapsus est, quemadmodum sciunt omnes docti quid in graecis dictionibus ab octingentis iam annis libris acciderit.*

Inde Dardanorum urbem sitam in Macedonia.

Quae illa sit urbs, non nominat, cum Ptolemæus Dardanorum supra Macedoniam quatuor urbes exhibeat, Scupos, Vlpianum, Nessum, ac Arrhibantium. Fortassis autem nomen omissum in codicibus.

Per Pelagoniam & Nymphæum & Bœotiam in Thessalia.

Pro Bœotia quidam Boleam emendarunt, sed id nominis nescio an usquam eo in loco reperias. Nam in Argiuis locus apud Pausaniam, huc non pertinet. Suspicio legendum Berrhœa: est enim ea in itinere ex Dardanis in Thessaliam.

Ad Phragandas igitur uast. agr. & urb. Iamph.

Nec hæc nomina apud ullum autorem inuenio. quod ideo admonendum duxi, ut codices uetusti eò diligentius perquirantur conspicianturque.

Utra Clinen est profectus.

D *Moguntinus codex habebat Clymenen: sed neutrum nomen ualde obuium apud autores.*

Cōprehensa postea priuata ædificia (neque enim tum basilicæ erant.

Innuat, opinor, suo tempore in ordine post tabernas fuisse basilicas, ubi olim priuata ædificia. alioqui frustra fuerit hæc parenthesis. Latumias autem ex graeco esse, & maxime à Syracusanis, qui eas instar carceris habent, fateatur Festus, immutata nimirum uoce. λιθομίαι enim apud illos dicuntur, ut uidere est apud Thucydiden lib. 7. ad finem.

Clarissimarum urbium excidio celeberrimus uir. uict. bell. ac. in ur. ad.

Miranda compositio, ut sunt multæ apud hunc autorem, quæ tamen intelligitur. Laurentius Vallita emendauit: Nunc circumfusis multitudini simul & Siculis obuiam egressis potestatem Romam adeundi fecit, & nonnullis uel æmulis querimoniam præbuit, clarissimarum urbium excidio à celeberrimis uiris uictos bello accusatores in urbem adducens. Hæc ille, quæ quam bene habeant, lector iudicet.

Eæ quatuor erant legiones urb. duæ superi. anni.

Si de eisdem legionibus loquatur, non procedit: sed de alijs haud dubie intelligendum. Qui enim fieret ut in Galliam mitterentur, cum coss. alter in Siciliam iturus esset?

Marcellus si iam auditi à senatu Siculi &c.

Illud, suam, quid referat per ambiguum est: alij ad senatum, alij ad Marcellum

A lum comparant, ego lectori iudicandum relinquo.

Rapiente fato Marcellum ad Hannibalem.

Hæc Liuius ita refert, perinde atq; hoc consulatu, quo quartū fuerat cōs. Marcellus occubuerit, hoc est nono huius belli anno, cum ipse quintum cōs. annis duobus post hunc occubuerit, uidelicet huius belli undecimo.

Talia conquestos cum excedere ex templo.

Ex templo, duæ orationis partes uidentur. Nam postea Marcellus ita orationem conclusurus inquit: Et quoniam coram & Siculorum & mea uerba au distis P. C. simul templo excedemus. Alij præpositionem, ex, ante templo sustulerunt, quod placet.

Nec mihi ipsi congresso ad portas cum principi, respon:

Hoc nusquam de ipso Marcello antè prodidit, quod equidem sciam, sed de eius legatis. Item quod continuò subdit, Apud Hannibalem & Carthagenenses uictos sese iustius, quàm apud uictoris populi Rom. senatum quererentur: quidam emendarunt, uictosq; sed neutrum admodum placet, & quia nihil aliud quod reponam habeo, in medium lectori conijciendum relinquo.

Eos libertatē sibi suisq; & honorū aliq. par. or.

B *Hæc uerba ita ponuntur, quasi pro solis nobilibus roget libertatem bonorumq; partem, ac non pro omnibus Campanis. Oratio mihi mutila uidetur.*

In consilio, inquit, arbitror me fuisse Consulib. Cap. ca.

Procoff. Claudius ac Fuluius Capuam cepere, non cōss. Præterea uide num potius concilio legendum. At hæc leuicula.

Idq; & apud maiores in Sutrianis factum est.

Id si bene habet, oportet secunda decade scriptum esse, nam in prima nusquã puto inueniri. Satricanorum ciuium Romanorū quidem meminit lib. 9. ab Urbe cond. post Caudinas furcas, sed nihil tale de illis ibidem narratur.

Quod senatus maxima pars censeat, qui alsidens.

Solennia sunt uerba, ut puto, ideoq; uelut impedita, quæ nostro more notamus, si fortassis corrupta sint, ut ex codicibus emendatis restituantur. Præterea & harum mulierū nomina propemodum alia apud Valerium Max. lib. quinto, cap. secundo, de gratis reperias.

Néue quis eorum qui Capuæ fuissent.

Hic uelut aliud decretum de habitationis loco incipit, nam alioqui planè nō intelligo. Ergo libertas data, sed habitatio mutata.

Nunc ad militiam paruo ære emendo, nunc remig. imperan.

De Volonibus quidam priorem huius orationis partem intelligunt: sed si id esset, fortassis & sequens, propter nunc geminatū. Nisi quis potius de paruo stipendio, quo milites conductos conqueruntur, eum loqui intelligat.

C Et libras pondo, ut salinum patellasq̄.

Ad libras pondo, cum non addat cuius rei, auri ne an argenti, non uideo quomodo intelligendum. Nam quod quidam distinxerūt ante argenti, & post uerbum, relinquunt, quæ utraq̄ præcedunt, mihi non probatur. Valla legit, libræ pondo. Hoc quoq̄ mirum alicui uideri poterit, cum lege Oppia nulli mulieri licuerit habere plus semuncia auri, ut libro quarto sequentis decados habetur, hic permissum esse ut uxores filiæ uel auri plenas uncias habeant. Neque enim Oppia lex interea temporis lata erat, sed antea. Verum lectorum iudicio hæc cōmittimus.

Nec deductis præfidijs spei liberam uel obn. tim.

Quidam timoris, pro timori reposuerant. At ego sensum non adamussim intelligo.

Salapia principes erant Dasius & Blactius.

Apud Valerium Max. lib. 3. cap. 8. (Si codices non fallunt) Blasius, non Blactius legitur: quæ ideo annotantur nobis, ut lector ipse uideat uter ex altero emendari debeat.

Nam ad quatuor millia hominū frumentatū egressi.

D *Quidam contra uetustiorū codicum fidem emendarunt, egressa, pro egressi: quasi contra grammatices præcepta sit si quis ita loquatur, quatuor millia hominum egressi, cum nō ita longe post Liuius ipse de Agatirna (quam Agathyrsum Strabo uocare uidetur) multitudine in Italiam à Leuino cos. traducta, ita loquatur. Quatuor millia (inquit) hominum erant mixti ex omni coluie exules obæratī &c. Nec distinctio hoc tam adiuuat, quàm quod licet etiam ita loqui, inuitis grammaticis.*

Trepida fuga incedentes.

Incidentes legendum, non incedentes. Sed id non difficile animaduersu. Porro quod sequitur, Semiapertis portarū foribus in urbem compulit, ne urbs eodem impetu caperetur: ita positū est, perinde atq̄ Liuius dicat, ideo C. Persium hosteis in urbem compulisse, ne urbs eodem impetu caperetur: cum contra hoc uelit innuere, ideo semiapertas fuisse portarum foreis, ne urbs à Romanis eodem caperetur impetu. Hæc si cui uidebuntur friuola, argutiora uel quàm ut hic referantur, meminerit Laurentium Vallam de latina lingua optime meritum, libro primo elegantiarum capitibus aliquot, & libro secundo item, minutiora longe, etiam seriò tractasse, ut Aul. Gellium taceam, in quo sunt quædam multo minus ulla tractatione digna. Quanquam hoc quoque lector scire debet, apud hunc nostrum Liuium multa alia similia esse, à nobis studio, non temerè neglecta, sed obiter quædam indicata, quædam omnino omissa.

Et

A Et nescio an unam Hispaniæ oram quæ no. ad. ma.

Carthaginis nouæ portū præferre uidetur omnib. alijs portubus ad oram Hispaniæ. Sed hic locus à Beato Rhenano recte restitutus est.

Ut eodem tempore exercitus ostenderet.

Et hunc locum recte restituit idem Beatus. legendum enim: Ut eodem tempore Scipio à terra exercitum ostenderet, classis portum intraret. Quod autem uersu sequitur proximo: Septimo die ab Ibero Carthaginem uentum est simul terra mariq; hic distinguendum puto: nam quæ sequuntur uerba, de pedestri exercitu intelligenda sunt, ubi proximo rursus uersu duæ uoces, frons & tergum, mirum quàm lectorem morentur. De castris enim ait, his ab tergo (nam frons natura tuta erat) obiectum uallum. At quæ frons castrorum, quod tergum, scire non possum: cum uerisimilius sit frontem dixisse quæ urbem spectabat, quam quidem partem non muniuit, ut ipse postea dicturus est, ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret. Verum quid munire oportebat cum natura tuta erat?

Continenti urbem iugum ducentos ferè &c.

Manifeste iugum hic appellat, quod Græci ἰσθμὸν uocant. Inepte meo iudicio Suidas ἰσθμὸν ait mare inter duas terras, cum cōtrà iugum sit inter duo maria. Sed non est nunc de his differendi locus.

Opera & difficilia esse & tempus datura.

B Hoc, datura, in daturum, temerè à quibusdam mutatū est, ut diligenter legenti patet.

Sed quod euntes ad ancipites utrinq; ictus.

Comparatio est utrinq; Romauorū oppugnantium, hinc à terra, hinc à stagno. Hic à terra ingentem ostendit difficultatē: sed hæc uerba corrupta uidentur, neque uerus ex eis elici potest sensus: sicut nec ex his quæ non ita longe deinde sequuntur: Et mox cædendo confectis ac distractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt.

Cornelium Claudium de medio adiecit.

Hunc paulò post P. Cornelium uocat. Illud, Claudium, mihi suspectum. Quidam in Caudinum mutarunt.

Quod admoti tantæ dignitatis non tam aduocati.

Tantæ dignitatis, ad uiros referendum quos aduocatos uocat. quare temerè quidam in indignitatis mutarunt, referentes ad certamen.

Haud magni ista facimus, inquit: quid enim h. for. n. s. est?

Hæc uerba non intelligo, habent enim argutiam, quam neutiq; assequor. cæterum ea mutila conijcio. Ipse lector iudicet.

Ne quid, quod sanctū usquā esset, apud nos uiolaretur.

Ita habebant ueteres libri, & mihi etiam placet. Quidam mutarunt nos; in

C uos, distinctionemq; postea subiunxerunt: quàm bene, ipsi uiderint.
Præpilatisq; missilibus iaculati sunt.

Cuiusmodi missilia præpilata dicantur, adhuc quæro. Quidam libri pilatis habent.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS
LIBRVM SEPTIMVM HENRICHII GLA-
REANI ANNOTATIONES.



TELLANIS Calatiam migrare iussis.

Galatia & Calatia uarie scriptum reperias. De Calatinis, Atellanis ac Campanis decretum factum erat, sed uideo hic de Atellanis mutatum.

Par numerus Romanorum sociorumq; eodem in præf. Multi de hoc loco dubitarunt, quomodo post urbanum exercitum subiungat, Romanorum, quasi Romani non essent de urbano exercitu. sed intelligendum de exercitu urbano mille missos, quorum quingenti erant Romanici socii.

Regem nec inimiciorem ulli populo q̄ Carthag.

Hoc loco inimicum Carthaginensibus facit Syphacem, ut libro etiam quarto. Cæterum libro sequente ei foedus fuisse cum Carthaginensibus ait ea tempestate, quæ tribus fuit elapsis annis postea, nulla interim facta mentione mutationis uel cum Carthaginensibus uel Romanis. Sed de his rebus ibidem dicendi sumus.

Et terna pondo pateræ aureæ.

Ternum pondo legendum censeo, alioqui absurdus erit sensus. & in his etiã facilis est lapsus.

Eumq; quem populus iussisset diceret dicat.

Hic populus iubere dicitur: paulò post, plebs sciuit: rursus deinde populus iubet. cui subneclitur, ex eodem plebiscito. Videndum lectori, num populi iussum dicere uelit plebiscitum. Deinde quomodo plebs sciuit, cum ante eius concilium Leuinus cōs. clam nocte in prouinciam redierit.

Galeria iuniorum, quæ fortè prærogatiua erat.

Præcedente libro, eo in loco ubi Torquatus renuit consulatum, prærogatiua (inquit Liuius) centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum. Hic nunc uocat Galeriam. Ego sanè quid sibi id nominis uelit, nõ intelligo. Si equitum est ordo, fortassis à Galero nomen habet. Sed ea coniectura duntaxat est.

A est. Vegetius lib. 1. de re militari cap. 10. lixas galerios uocatos suo seculo testatur. Vox est rara, ac fortassis corrupta.

Qui neque magistratum continuari satis ciuile esse.

Proconsulatum Q. Fuluij æquat Consulatu: alioqui quomodo ei continua retur imperiū, qui hoc anno non fuit c o s. Nisi de dictatura hoc intelligendū.

Nancq; Cn. Seruilio c o s. cum Flaminius.

Mirum, Liuium ne uno quidem uerbo huius plebisciti meminisse sub c o s. Flaminiō. Exemplum autem de Posthumio Megillo fuit anno ab Vrbe cond. 462. quando cum eo c o s. fuit C. Iunius Brutus (quem codices alij Cn. alij Bibulum, alij Bubulum uocant) secunda decade libro primo. At hoc plebiscitum à Liuiō omissum est hac decade.

Circumacta inde ad alterum insulæ latus Carali.

Ptolemæus Olbiam Caralinq; eodem Sardinæ latere ponit, uidelicet ortum spectante: quare non uideo quomodo hic locus constet.

Et Censores hic annus habuit L. Veturiū Phi.

Dubium hic est, de priorē ne anno loquatur, an de hoc præsentē: nam, hic annus, ait, non superior. Atqui hoc anno L. Veturius Philo fit prætor peregrinus cum Gallia prouincia, ut paulò post exhibet Liuius. Num igitur simul **B** Censor? non opinor, nam Censor hic moritur. At paulò post ædilis curulis ludos Romanos instaurat. Neesse igitur est plureis fuisse eo nomine. Cicero uidetur Philos uocari, non Philones: ex quo multi in Liuiō cognomina mutare in prioribus ausi, hictamen non emendarunt. Fieri potest ἐτερόνδιτον fuisse apud ueteres.

Ingressum eum in curiam, cum L. Licinius prætor.

Quidam legunt, ingressum eum curiam. At id parui momenti. Id magis refert, quando hæc acta, disquirere. hoc enim anno neuitquam prohibitus est Valerius, sed posteriore, etiamsi hoc anno captus. Eius rei causa est, quod huius anni non L. Licinius prætor urbanus, sed C. Hostilius fuerit, sequente uero anno L. Licinius. Est autem uehemens error in Liciniorum prænomi nibus. P. Licinius Crassus pontifex max. cuius hic est mentio, fit prætor peregrinus anno sequenti. L. uero Licinius Varus prætor urbanus eiusdem anni, qui tum Valerium flaminem è curia educere conatus est. Quanquam fieri potest ut duo P. Licinij, Crassus & Varus fuerint. Sed cum hoc loco L. Licinius legatur, etiam anno sequenti ita legendum, siquidem hic recte legitur.

Eæ fuere Ardea, Nepete, Sutrium.

Hunc locum ferè in exemplaribus corruptum, quidam è libro nono, ubi rursus enumerantur, emendarunt, & recte mea quidem sententia. Nam Lacates, quod hic erat, nusquam est apud autores, quod equidem sciam.

C Signini fuere & Nolani & Norbani.

Cum inter hos colonos Signini Nolaniq; ad inferum inclinent mare, Brundisini autem, Hadriani ac Ariminenses ad superum, Liuius uidetur uelut ad unum omnes posuisse. Nam subiungit, Et altero mari Pontiani, & Paestani, & Consani. Paestum quidem oppidum est maritimum Lucanorum, autore Ptolemæo. Consani tamen uix legerim, sed uel Cossani, uel Compsani, quemadmodum etiam libro tertio huius decados admonuimus. Quidam pro Nolanis Venusinos substituerunt.

Inde quingenta pondo data Coss. & M. Marcell.

Quingena legendum, neq; aliter diuisio constabit, imò nec latinitas: ut intelligamus, his quinque singulis data quingenta pondo, Fabio autem centum pondo. Restabant mille & quadringenta, quæ in Hispaniensis exercitus necessitatem sunt reliqua.

Districtis gladijs discinctos destituit.

Discinctos quid sit, utcumq; intelligitur ex Seruio lib. 8. Aeneid. ad finem ad illud Vergilij: Discinctos Mulciber Afros. At illud, Districtis gladijs, non admodum. Sed perpendat hoc lector. Beatus legit, destrinctis gladijs cinclu destituit.

Hirpini, & Lucani, & Volscentes.

D Plin. lib. 3. cap. 11. Volscemanos uocat prope Numistranos.

Auri LXXXIII. millia pondo.

Quantumuis Tarentum ciuitas diues erat, hæc tamen summa suspecta mihi est. Nam Capua capta LXX. auri pondo ad quæstores relata, priore libro retulit Liuius. Plutarchus in Fabio tria millia talentum relata in ærarium scribit. Quare hæc ita legã: Argenti uis ingens facti signatiq; auri LXXXIII. pondo. Aut fortassis sic: Auri argentiq; uis ingens facti signatiq; auri quidem LXXXIII. pondo, argenti tria millia. Sed hic uideat lector quid addendum putet, talentum an pondo.

Neq; enim se reprehendere morem hominum.

Quidam pro morem, emendauerant nomen, sed displicet: quanquam obscurus est sensus utro legatur modo.

Et ante deditorum & pridie captorum.

Necesse est hoc loco, ut unum diem intercessisse huic plausui pugnae intelligamus: alioqui illud pridie, quid sibi uelit non planè uideo.

Tunicam lato clauo cum Hispano sagulo.

Quid lato clauus sit, omnes intelligunt: at tunicam lato clauo, non item. Similem locutionem inuenies libro 10. de donis Masanissæ missis. Nisi quis locum ita legendum putet: Tunicam cum lato clauo ac Hispano sagulo. Sed ego non temerè mutauero.

Fecitq;

A Fecitq; ante diem tertium nonas Quintiles.

Sallustius etiã ita loquitur: *Ante diem v. cal. Nouembreis. Et Cicero oratione prima in Catilinã: Ante diem xii. calend. Nouembr. Et paulò post: Qui dies futurus esset in ante diem viii. cal. Nouemb. Rursus paulò post: In ante diem v. cal. Nouemb. Nisi codices omnes fallant, Sed dubiũ est, certũ ne diem significare uoluerint, & quem nam, præsertim cum præpositio, in, adijcitur: id quod lectori iudicandũ relinquimus. Nam hoc loco quidam ad iii. nonas legunt.*

Interfecti Au. Manlius tribunus mil. & ex du.

Videri potest prolepsis, ut quod in genere dictum sit, per species explicetur. Sed mihi occisorum nomina omissa uidentur. Quidam interfectus legunt: si fide codicum fecere, bene habet locus.

(Rhion incolæ uocant.)

Liuius fretum Rhion uocatũ, perhibere uidetur, cum Strabo lib. 8, ac Ptolemæus promontoriũ id nominis tradant, in modum falcis producti longius, unde & Drepanon uocatur. Ipse Liuius paulò post ab ipso ludicro regem Philippum profectum ait Rhium, ad indictum concilium, ubi urbem fatetur. Nisi quis pro Rbio Aegium eo in loco legendum putet, quemadmodum libro sequenti Aegium, concilium Achæorũ indictum dicitur. Quanquam eodem libro Liuius Rhion, fauces sinus Corinthiaci interpretatur.

B Romanis restitueretur Athamanis.

Quidam hunc locũ ita emedarũt: Sationis restitueretur Athamanis, Scerdileto & Pleurato Parthini. Sed ego hoc puto absq; exemplariũ fide factum. De ditionibus hic agitur, non solum de pace. Locus haud dubie est mutilus.

Per Achaiam Bœcotiamq; & Bœobam.

Bœbeidem recte, meo iudicio, emendauit Sabellicus. Bœoba nihil est. Eubœa autem (quod Aldinus codex restituit, & quidam alij eum secuti) huc non quadrat, quod facile uidebit geographica non imperitus.

Orestidem iam tenere, ac descendisse in Argestæum.

Orestidis situm fortassis Ptolemæus magis australem ponit, quàm ut huic profectio conueniat, cum sit magis ad Boream. Cæterũ Argestæũ nomen nondum inueni. Vide ne Aestræum ex eodem Ptolemæo legendum. Post aliquot item uersus T. Manlio Torquato, nõ L. Manlio reponendum, ut sequentia satis luculenter ostendent.

Vt & rus migraret, & per multos annos & urbe.

Si hæc uera sunt, qui fieri potuit ut Tarentinæ præfuerit arcis? Ideoq; libens crediderim eius arcis præfectum fuisse M. Liuium Macatum, qui paulò antè ob amissum Tarentũ in senatu ab inimicis accusatus, cæterum ab hoc Liuiio Salinatore stante defensus. Et in Ciceronis Catone mendũ esse, uel librariorũ

C uel memoria, uel denique historiae apud autores uariatae, ut saepe fieri solet. Huius rei lib. 4. huius decados etiam lectorem admonuimus.

De reconciliatione & gratia eorum in senatu actum est.

Quidam emendarunt, de reconciliatione etiam gratiae eorum. quod quare fecerint, non equidem intelligo.

Alteri aduersus Hannibalem Brutij, Lucani.

Et quare non Brutij Lucanisque, aut, Brutij & Lucani? Sed hoc pusillum: ἀσυνέτητον est, quo gaudet Liuius. Item non ita multo post de numero censorum capitulum ait: Minor aliquanto numerus, quam qui ante bellum fuerat: cum in Floro sit propemodum duplus. Vide igitur uter locus ex altero emendari debeat.

Supra dies xxx. non pernoctaturos extra moenia.

Quid sibi haec uerba uelint, fateor ingenue me non intelligere. Nam si pro colonia loquitur, quid addit, Donec hostis in Italia esset? Quanquam sunt qui putent illis uacationem dari, ut non toto tempore adesse cogantur, sed xxx. duntaxat diebus, quandiu hostis sit in Italia. At mihi hac declaratione non fit satis, iudicet lector.

Et cum per munita pleraque transitu fratris, quae antea inuia.

D Munita intelligo, per uia facta. Caeterum mirum quo pacto Liuius in mentem uenerit, ut itinera per Alpes ante Hannibalis transitum inuia scribat, cum tamen lib. 5. ab Urbe cond. Gallos saepe transisse Alpes fateatur, etiamsi eos qui aduersus Clusinos arma mouerunt, ac Romam postea deleuere, neget primos fuisse qui in Italiam Gallorum profecti sint. De Gallorum antiquiore in Italiam transitu multi ante & post Liuium eximij meminere autores. Plinius libro 12. cap. 1. C. Caesar libro 6. ubi de Volcis Telesagibus. Strabo quoque libro quarto de Venetis, ut non fuerit opus unum in hac re sequi Polybium.

Et mille ferè & quingentos pass. castra ab host.

Hoc uersu mille & quingentos ait passus: proximo autem, statimque sequente, quingentos ait passus fuisse inter castra Punica ac Romana, cum interim tamen non meminerit propius accessisse quenquam. Suspicio codicum esse errorem.

Iam primos occupauerat equestris terror.

Primos Pœnorum intelligimus à Romano equitatu tertiae legionis territòs, deinde etiam legionem successisse quae plus terroris attulerit. Ergo uel equestris uel equitis legendum, non autem primos equites: neque enim Romani equites territi erant. Vetusiores codices bene habebant, sed quidam mutarunt haec absque iudicio legentes.

Per agrum Larinatem, Marrucinum, Ferentanum, Praeput.

Quidam Ferentinum emendarunt, sed male, si Plinio credimus, qui lib. 3.

A cap. 11. *Frentanos* hos uocat *populos*. Ita etiam *Ptolemæus*, qui *Larinum* oppidum ijs adscribit. Idem *Plin.* cap. 13. eiusdem libri, *Prætutianū* agrum prope *Picenum* ponit: *Ptolemæus* *Prægutios* eos *populos* uocasse uidetur. *Prætutianum* igitur legendum, non *Præputianū*. Secundo libro huius decados etiā huius itineris facta est mentio.

Profectus nocte flexit in *Picenum*.

Picenum regio ad *Vmbros*, *Anconam* usq; tensa, in hanc tandem uentum. At *Picentes* uicini *Lucanis* ac *Hirpinis*, ab alteris originē duxere, ut refert *Strabo* lib. 5. ad finem. Hic uero *Liuius* uel *Picenū* accipit pro *Picentibus*, si fortassis uetus nomē his mansit: uel potius flexit in *Picenū*, hoc est, iter arripuit, quod non in *Lucanos*, ut exclamari iussit, sed in *Picenum* ducebat, etiam si id adhuc longe distabat. Verum paulò antè *populi*, per quos eundum erat, enumerati sunt: ergo in *Picenum* tandem, ut diximus, uentum est.

Romæ nō minus terroris ac tum. erat q̄; fu. biennio an.

Pro non, quidam haud reposuerunt. At id pusillum. Cæterū cum *Hannibal* ante urbem fuerit anno octauo huius belli, atque hic sit annus duodecimus, quis non uidet legendum quadriennio, pro biennio?

Scuta uetera hostium notauit.

B *Vetera* qui dicere potuit, si iam aduenerant? Sed uerè uetera uidebat scuta, quæ antea non uiderat: quæ etiam noua non minus cōmode dixisset opinor.

Per tortuosi amnis sinus flexusq; cum er. uoluens.

Cum errore uoluens, obscure dictum, quomodocunq; interpretemur. Suspitor locum corruptum. Multa hic egregie restituit *Beatus Rhenanus*, obscure etiam dicta, quæ præcedunt aliquot uersibus.

Post aciem circumducit, & nō host. mo. sed etiā f. inop. in sinistrū.

A *Romanis* *Claudius* in dextro, *Liuius* in sinistro cornu, in media acie prætor pugnabat. A *Pœnis* contra *Claudii* stabant *Galli*, contra prætorem *Ligures* ac *elephanti*, contra *Liuium* *Hasdrubal* cum *Hispanis*. Inter *Claudium* ac *Gallos* collis oppositus arcebat, ne aut à fronte aut ab latere aggredirentur, ut ipse tradit autor: quæ res effecit ut *Claudius* post aciem cohortes circumduceret. Sed obscurum id est, post quam aciem: non hostium, propter montem: ergo *Romanam*. Verum sic non in sinistrum hostium latus incurrit, sed potius in dextrū, atque adeo etiam eorum qui in dextro cornu *Hasdrubalis* erant.

IN T^o LIVII TERTIAE DECADOS
 LIBRVM OCTAVVM HENRICHII GLA-
 REANI ANNOTATIONES.



VM transitu Hasdrubalis, quantū in Italiam decli. b.

Quidam emendarunt, in Italia: sed quā bene, ipsi uiderint. In Italiam, malim. Iidem hac semipagina postea scutata, pro scutatorum reposuerunt, quod & ipsum nō placet. Notauit hoc etiam Sabellicus.

Oppressum erat.

Et hoc quoq; in oppressa mutarunt, ut referant ad materiam belli. Potest tamen oppressum referri ad conflatum bellum. Lector iudicet num oratio hiet, cui deesse aliquid propemodum mihi persuasi. Quidam oppresserat legunt.

In Mesessum finibus est sita.

Non fermè reperias apud scriptores uel Oringis uel Mesessum nomen in Hispanijs, etiamsi cum tempore nomina mutata sint. Quidā Melissum emendarunt, sed nec id compertum habent.

Romanæ v. & xxx. quinqueres, regiæ v. & xxx.

Ita ueteres habent libri, ut regia classis decem superarit nauibus. Quidam posteriorem numerū priori similem legunt: id si ita esset, opinor Liumū dicturū fuisse, regiæ totidem, non v. & xx. cum is numerus iam præcesserat.

Tum præsidium urbi mittit, unde allatum erat.

Quæ sit ea urbs, nō explicatur, & è Lemno iam cesserat Aitalus. Ideoq; is locus recte notatus est asterisco quibusdam in libris, fortassis ut exemplaria uetusta eo diligentius conspiciantur.

Maxime in sinu Aeniano euastatis Scotusam cop. re.

Quis sit sinus ille Aenianus, haud temerè dubitant plures: neque enim uerisimile est ad Aenū urbem Thraciæ esse, sed sinus Maltaci partem ad quem supra Scarphiam tenuere populi Aenianes, uicini ab occasu Locris Epicnemidijs, proxime Dorienses, ut tradit Strabo lib. 9. Nec longe inde Heracleam abesse Aetolicæ ditionis, ad Oetam montem, de qua hic noster autor obiter lib. 1. de bello Macedonico sub finem. At lib. 6. copiose post Thermopylarū descriptionem, eius etiam situm ac obsidionem cōmemorat. Scotusam autem Pelasgioticam hic putat, de qua Strabo lib. 7. ad finem, ad quam sunt Cynos Cephalæ eodem autore.

Ipse in Cisseo (mons est in altitudinem ingentem ca.

Ubi ille mons sit, in Peparæthone, an in continenti, non explicat, nec ego de hoc monte quicquam apud idoneos reperio autores.

Ad Demetriacum Phthiotidis exposuit.

Recte Sabellicus Phthiotidis hoc in loco restituit, sed Demetriacum puta-
 uit idem

A uit idem esse cum Demetriade. Superflue igitur adiecisset Liuius, Phthiotidis. Ego Demetriacū puto esse oppidum quod Strabo Demetrium uocat libro nono, ubi de Achillis regione disputat, ἀπὸ τοῦ Διμήερος, id est, Cereris templo, quod ibi eximium habebat.

Sed temerè in modum uenti.

In modum uenti, dixisse uidetur pro, ad arbitrium uenti. Mirum uero de Euripo ita nihil conuenire apud autores. Quantus hic dii boni commentandi campus.

Classemq; inde ad Cynum Locridis.

Sabellicus hoc loco restituit Cithinium ex Ptolemæo, sed codex sefellit: nam Cynum legendum est.

Igitur Philippus deiecto præsidio.

Nescio quid hic desiderem in sermonis connexione, præsertim cum dicit, igitur. Sed id lector consideret, si fortassis meliorem naclus fuerit codicem.

Quia Oreum pau. ante di. ab Ro. mil. exper. re. direptum.

Ὠρεὸς est in Strabone genere mascul. cum Liuius hoc in loco neutro genere proferat, paulò antè genere fœm. sed adiecto substantiuo, urbe. Hæc eò tendunt, ut minus anxij in his simus, cum uideamus etiam magnos autores nō ita anxie hæc ac similia obseruasse.

B Toronem est profectus.

Thronium Strabo lib. 9. triginta stadijs à Scarphia abesse ait, apud quod oppidum Boagrius amnis oritur. Torone autem longe alia ciuitas ad Pallenen est, supra Cassandrea, quæ olim Potidæa. Throniū igitur ubiq; hic legã.

Incolebant eam urbem profugi ab Thebis Phthiotici.

Vide num potius Phthioticis legendum sit. Nam de Thebis Phthioticis Strabo meminit lib. 9. ubi de Achillis ditione differit.

Paucis ante diebus inde Phoceas traiecerant Pœni.

Phoceas, si recte legitur, accusatiuus est Ionicus à nominatiuo φωκῆς, quod nomen est à Phocide regione Græciæ. Quidam igitur non recte diphthongum æ apposuerūt, tanq̃ à nominatiuo φωνάεϋς, quod à Phocæa urbe Asiæ, nihil prorsus ad hunc locū, deducitur. Suspico legendū, in Phocidem. Sed lector geographiæ peritus iudicet. Nam hæc duo nomina, Phocis & Phocæa, cum suis denominatiuis, & in latinis & in græcis codicibus magnū fecere errorem.

Ipse à Bœnotris præter terrā Atticam super sinum nauig.

Quidam ab Oenotrijs emendarunt, sed inepte, meo quidem iudicio. Strabo enim lib. 8. ubi de sinu Corinthiaco, Holmias promontoriū sinum efficere, in quo & Oenoa sit & Pagæ: atque has quidem Megarense castellum esse, Oenoan autem Corinthiorum. De eadem Oenoa Plin. lib. 4. cap. 7. Et de hoc loquitur (ut puto) hic Liuius: Terra missum exercitū per Bœotiam, ipsum uero

C regem præter Atticam circa Sunium promontoriū mari Chalcidem uenisse. Quare uerba Liuij ita legi possunt: Ipse ab Oenoa præter Atticā super Sunium nauigans, inter medias propè hostium classeis Chalcidem peruenit. Cenchreis non minus quadrat, quod Beatus Rhenanus restituit.

Ab Chalcide Oreum nauigat.

Hoc oppidum ab Attalo atq; Sulpitio expugnatum fuit paulò antè, nec de ea recepta quicquam haclenus. Hic nunc eam (si dijs placet) principibus qui Romanos fugerant, Philippus tradit. Vel igitur hic aliquis defectus, uel auctoris obliuio.

Cum Q. Fabius Max. prætor legatus ab M.

Neq; huius, neq; præcedentis anni Q. Fabium Max. prætorem inuenies, quare hoc nomen suspectum. Ego prætor temerè adiectum suspicor, & uetusta quædam exemplaria non habent.

Sicut P. Manlius tenuerat.

Hic priore anno, atq; adeò præcedente libro, ab ipso autore bis C. Manlius uocatur, non P. ubi prætor Siciliae creatur.

Et præmissa præda incolumes leg. in lo. occulta.

Quidam emendarunt, in loca culta. Verum hæc ita narrantur, perinde atq; aliquis adsit uerbis defectus, quod equidem opinor.

D Præmissa Syllano ad Colcam duo de xxx. op. re.

Huius Reguli meritò (ut ego existimo) uel unam nominasset ciuitatem Liuius. Eam negligentia in oppidis Hispaniarū cui adscribere debemus haud equidem scio: sed certe ea nimis magna est.

Quartodecimo anno post bellum initum.

Hic erat annus tertiusdecimus, ut ipsemet Liuius ab initio huius anni de coss. dixit. Et ut hoc excusari nulla ratione potest, ita nescio quo pacto id diluam quod paulò post de L. Scipione, Romam cum nobilibus captiuis missò, subiungit. Certe nō ita longe ab initio huius libri etiam missus est, nec ubi interea redierit, uspiam memoratur. At ego credo Liuiū memoria lapsum eandem rem bis scripsisse. Nam bis missum, ut credam, adduci non possum.

Syphacem primū regem statuit tentare. Masæsyl.

Libro quarto huius decados sub finem, Galam, Masanissæ parentē, Masæsyflorum regem Liuius scripsit, hic Syphacem. Et certe hoc loco posita descriptio conuincit Sigam fuisse ubi Scipio applicuerit, ea Africae parte, qua noua Carthago eam spectat, ut hic fatetur auctor. Cirtha uero (quanquam magis credo eam caput regni Syphacis fuisse, quod postea libro decimo scribet Liuius) huic loco minime quadrat. Suspicio autem Liuium duobus his nominibus, Masælibyum ac Masæsyflorum, deceptum: quod nulli mirum uideri debet, cum in codicibus Strabonis, qui tamē lib. ultimo ex professo ea distinguit,

idem

A idem erroris, in omnibus quæ nos uidimus exemplaribus, acciderit.

Fœdus ea tempestate regi cum Carthaginens. erat.

Hic idem rex bis cum Romanis fœdus iniit, semel etiam missis ad hoc Romam, & rursus à Roma ad regem legatis: & à posteriore quidem fœdere tres duntaxat anni intercesserunt. Nec satis hoc purgatur, quod rex barbarus erat, cum Scipio hoc idem timere debuerit, qui hic nouū (si dijs placet) sancit fœdus. Si cum perfido, quorsum id ferire attinebat? Sin cum eo, cui utiq; fidendum erat, qui fit, ut eum ueteris fœderis & propè nuper icli non admonuerit? Sed profectò suspicor Liuium oblitum postea eorum quæ antea scripserat, id quod iam sæpe admonuimus.

De principatu ciuitatis, quam Ibem uocabant.

Id nominis, ut pleraq; Hispanica, apud posteriores non facile reperias auctores. Et Astapa Floro Githium quibusdam libris uocata fuit: sed id ex Liuiio emendatum, quanq̃ ego haud scio, liceat ne ad eum modum emendare libros. Astapensium autem factum, à Liuiio ut crudele narratur, cum Saguntinorū haud dissimile fuerit, & tamen ut forte laudatur. Sed scilicet hoc pro Romanis, illud contra Rom. fuit. Hoc est historiam scribere.

Agrum Suefsitanum Sedetanumq;.

B Illergetum Regulus erat Mandontus, ut lib. 2. huius decados ait Liuius. Lacetanorū autem Indibilis, ut puto. Cæterū lib. 5. huius decad. Suefsanos aduersus P. Scipionē duxisse idem Indibilis dicitur, cum Suefsitani hoc loco amici populi Ro. prædicentur. Nisi duos populos fuisse intelligamus. Mira profectò in his est obscuritas, & quam ne Liuiio quidem satis notam fuisse existimo. Sedetanos autem puto Edetanos Ptolemæo dici, atque Plinio libro tertio, cap. tertio.

Ad Sucronem ortus.

Sucronis eodem in loco meminit Plin. Ptolemæus ultra Valentiam statuit. Id autem mirum quomodo hi milites Mandonio Indibiliq; coniungi potuerint, interpositis tot amicis populis, Edetanis ac Suefsitanis: ipsi ultra Iberum, præsidium gentibus cis Iberū, Mandonius autem ac Indibilis citra Iberum. Meritò hæc lectori, ut obscura, indicari poterunt.

C. Albiūm Calenum, & C. Actiūm Vmbrum.

Quidam pro Actium, restituerunt Atrium, quod in oratione Scipionis postea ita legatur: Sed illi tamen non Actium Vmbrum semilixam, nominis etiam abominandi ducem. Atrium ab atro dici uoluisse, nō Actium. Verum res non est tanti momenti.

Et P. Scipionē deūm be. & rempub. esse gratiæ referendæ.

Nota hoc dicendi genus, P. Scipionem & rempub. esse gratiæ referendæ. Sæpe enim per gerundium nō hic modo, sed cæteri quoq; auctores loqui solent.

C Quina nomina principum seditionis edita sunt.

Quidam quina, pro quinque positum existimant. At ego existimo, cum tribuni septem ijs obuiam missi fuerant, & nocentium xxxv. ut ipse paulò antè fatetur autor, intelligendum non quinque in uniuersum, sed singulis quinque, hoc est, septies quinque, qui efficiunt xxxv.

Sed lætitiā ingentem fecit, quod magis habituri.

Pro lætitiā, quidam licentiā reposuere, non recte, ut puto. Cæterū quæ sequuntur uerba, obscura sunt: puto autem de Syllano intelligi, quem sperabant milites magis in ipsorum fore potestate, quàm se in illius.

T. Quintio Crispino, C. Fulvio.

Cn. Fulvio legendum. Et intelligit de Cn. Fulvio Centimalo, qui anno octa uo huius belli c o s. fuit, ut ad finem lib. 5. huius decados habetur. Deinde uero proconsul occiditur ab Hannibale ad Herdoneam, ut ab initio libri 7. narratum est. Vicerat alium etiam Cn. Fuluium Hannibal, ut lib. 5. antè dictum: at is effugerat cladem, non item populi iudiciū, ut libro 6. ab initio. Verū Scipio hic de occisis loquitur.

Ad Carteiam classe accedit.

D Carteiam Ptolemæus intra Calpen ponit: at hæc descriptio ostendit extra fretum esse, quod & Plinius libro tertio, cap. 1. fateri uidetur, qui addit Tartesson à Græcis dici. Quod si uerum est, haud dubie ea uideri debet quam Strabo ad Bætis fluuij, qui & ipse aliquando Tartessos dictus est, ostia ponit. At libro primo huius decados Liuius ex Polybio Carteiā Olcadum gentis caput facit, quare ego duorum oppidorum nomen puto Carteiam.

In Sedetanum agrum.

Paulò antè admonuimus, uideri Sedetanos à Liuiio dictos, quos Ptolemæus Pliniusq; Edetanos uocent. Cæterum trans Iberum erant, tamen si illius accolæ aliqua parte. Illergetes uero cis Iberum. Ergo proficiscenti Scipioni à noua Carthagine, priores erant Sedetani quàm Illergetes. At Liuius hic decimis castris Scipionem ad Iberum uenisse, deinde superato anni, die quarto in conspectu hostium castra posuisse scribit, nulla facta mentione Sedetanorum. Nisi quis dicat in Sedetanos primū hosteis transcendisse (nam eo uerbo utitur Liuius) deinde in Illergetes etiam ipsos superato anni redijisse. Certe locus obscurus est, nec facile soluitur. Id etiam mirandum quo pacto Illergetes & Lacetani in Sedetanis exercitum collegerint, cum illi essent socij populi Romani, ut paulò antè tradidit autor. Neque enim uspiam mentio est defectionis Sedetanorum. Hæc ut dubitata à me scribo, quæ lector boni consulat. Spero autem fore ut qui rem penitius introspexerint, fateantur me nec temerè, nec absque urgentibus causis dubitasse, aut ut minimum
alijs

A alijs dubitandi occasionem præbuisse meliorem.

Die quarto in cōspectu hostium posuit castra.

Poterat hic *Liuius* dicere clarius in quarū terra hoc gestum, ac uallem nominare. Nam citra *Iberū Sedetani* nō sunt, quorū agrū ante nominauit. Hoc uel apud *Latinos C. Cæsar*, uel apud *Græcos Herodotus*, nō neglexissent.

Equitem nec posse circundare cornibus.

Hæc descriptio et si intelligitur, est tamen oppidò obscura aliquot uerbis, ut hæc, hic posita, & tertio deinde uersu hæc uerba: *Segregetq; quantum possit equestre à pedestri pugna. Et rursus post aliquot uersus: Duæ peditū acies, duo equitatus per longitudinem campi &c.*

Mandonium fratrem ad eum mittit.

Hic habemus, ut uidetur, hos duos regulos, quorum toties nunc mentio facta est, fratres fuisse. Nisi quis putet alium *Mandoniū* esse *Indibilis* fratrem, iuniorē quempiam: nam alioqui cur non ipse *Indibilis* iret deprecatum apud uictorem hostem, cum *Mandonius* in eadem erat culpa? Quamquam & ea quoq; subit causa, quod *Indibilis* aduersus *Scipionis* parentē pugnauerat, unde odij adhuc fauilla timeri poterat.

Substitueratq; animo speciem quoq; corp. amp. ac.

Substituerat dixisse uidetur, pro conceperat: quamquam haud scio an ita sit in usu. *Beatus* legit, præstituerat.

B Numida gratias de fratris filio remisso agit.

Præcedente libro *Masanissa* auunculus dicitur eius iuuenis quo de hic agitur. Ergo legendum hic uidetur sororis filio, nisi uel sororis maritū fratrem appellarit, uel apud barbaros frater sororem habuerit in uxorem.

Nec sine causa electam ante urbem stationem.

De Romanis loquitur, ut puto. Sed ut hæc uerba sese sequatur, suspensum faciunt lectorem.

Ad octingentos ho. cæsi, inter mu. lit. q; ad duo mil.

Hic locus obscurus est, & ut suspicor, etiam corruptus. Quamquam quidam exponunt, cæsos octingentos, sed in uniuersum qui interierint, fuisse duomillia. Quidam codices armorum habent, non armatorum.

Inde ad *Cimbim* (haud procul à *Gad. is* locus ab.)

Id nomini nūquam legi, quod equidem sciam, ideoq; inspicienda uetera exemplaria.

Viris armis haud æque ualidam.

Strabo lib. 4. minorem *Baleariū* uirtute nihilo inferiorem maiore fatetur, id fortè sic erat illiustempore. Illa ἀσὺν δὲ τῶν ἀρμίστων, armis uiris, quidam per q; conneclunt, ut paulò antè in maiore. Et paulò post, *Misissisq; Carthaginē*: distinguendum ante, ad hybernādum: ut sit sensus, auxiliares missos tanquam obsides

C Carthaginem, ipsum autem Magonem ad hybernandum naucis subduxisse. At hæc pusilla sunt, ac propemodum nõ huius instituti, uisa tamen sunt aliquid ad lectoris utilitatem facere.

Qui sine magistratu res gessisset.

Libro sexto ad hoc comitia fuere, ac illic planè imperium uocat: hic sine magistratu eum uocat qui Procos. fuit. Statim autè post legati Saguntinorũ coss. uocant in Hispaniam missos, consulareis ac Procosf. Nullus enim c o s. hoc bello illuc est missus. Hi itaq; loci lectori perpendendi. Simile quiddã inuenies lib. 1. de bello Maced. ubi L. Cornelius Lentulus frustra triumphum petijt.

Quod nobis nõ tam fructu iucundius est cõ ultione.

Vide id genus locutionis per comparatiuum inter tam, & quàm. quanquam ueteres libri, tam, non habent.

Si alterutra uictoria nobis consulib. relinquen. est.

Omnes libri nobis habent, ut sit sensus secũdum quosdam: Si nobis relinquenda est uictoria alterutra Consulibus, prior maior clariorq; &c. At ego hunc sensum non percipio: quare, uobis, malim. Neque enim Fabius hicerat c o s. Beatus legit, nouis, hoc est, alterius anni, siue insequentium annorum.

Bello domi relicto autore æque impigro.

D Videtur loqui de ea clade quam Athenienses apud Syracusas passi sunt, prosequente eam Thucydide lib. 7. Quanquam ibi duorum ducum est mentio, quemadmodum etiam hic autor lib. 5. huius decados, ubi Marcellus fleuit super Syracusas, duorum meminit. Nisi quis in Alcibiadem hoc dictum putet, qui suasor erat huius profelionis, ut lib. 6. idem docet Thucydides.

Quàm ea suspicio (uitio orationis, an rei) haud fa. pur. est.

Desideratur hic, ut opinor, aliquid, nisi quis supplendum putet uerbum, nescio. est tamen obscure dictum.

Cum quatuor exercitus Pcenorũ, quatuorq; duces.

Magnifice Scipio oratorum more auget sua: tres enim duntaxat fuere perpetuo hoc tempore belli duces, & exercitus item tres, ut libris omnibus superioribus tradidit Liuius. Duo Hasdrubales & Mago. Vi autem Hasdrubal Hamilcaris ex Hispania discessit, successit Hanno, ut ab initio huius libri habetur: sed is statim captus est. Hunc fortassis nunc etiam numerat: is enim cum nouo exercitu ex Africa uenerat. Idem numerus est superius cum Scipio ex Hispania Romam uenerat, eiq; senatus datus in æde Bellonæ.

Quem L. Veturius & Q. Cæcilius fortirentur inter se.

Sensus, propter sequentia, utcumq; intelligitur, quòd Q. Cæcilio sorte euenit, ut cum c o s. in Brutijs aduersum Hannibalem bellum gereret. Cæterum lector consideret uerborum structuram & ordinem, & uidebit nos non frustra dubitasse.

Et

A Et in uaticum decurionibus remigibusq̄ collaturos.

Quid collaturos? num centū & xx. millia modium? quid igitur cōiunctio & ibi posita? Paulò antè etiam, millium quinquaginta summam ad pila, gæsa, bastas longas referenda puto, alioqui sensum nullum uideo.

Ingauni (Ligurū ea gens est) bel. ea tem. ge. cū Epanterijs mon. Albigaunus est oppidum, autore Strabone libro quarto, cuius incolæ Ligures Ingauni appellantur. Meminit & Ptolemæus & Pl. lib. 3. cap. 5. De Epanterijs nihil apud idoneos inuenio autores, fortassis nomen uel corruptū, uel uetustate abolitum.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII
TERTIAE DECADOS LIB. VIII. FINIS.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS
LIBRVM NONVM HENRICH GLA-
REANI ANNOTATIONES.



B Xijs trecentos iuuenes florenteis ætate.

Centuriati erant uoluntarij Scipionis milites, at non hī trecenti. Nota igitur locutionem, tum quid referat, ex ijs.

Naues mari secundo misit.

Vide ut illud, misit, posuerit. Nam ipse quoque unā uectus est, nisi classi præmiserit aliquot nauis, quippe qui non longe post dicturus est, classis Romana à Messena Locros multa die superante accessit.

Si matris Idææ Pefinunte numen Rom.

Πεσινουὺς apud Strabonem lib. 12. legitur. Plinius libro 5. cap. ultimo, & Ptolemæus, Tolistobogijs attribuūt. Hoc nomen fermè in codicibus corruptū legitur, m pro n, Pefimus. quanquam prima in græcis codicibus duplex habet σ, quam ego simplici sigma scribendam censeo.

Oraculum adierunt, consulentes ad quod negocium.

Hæc & continuò sequentia uerba implicatū habent sensum, ideoq̄ diligenter conspicienda uetera exemplaria.

Et flamen mar. est mortuus M. Aemilius Regulus.

Ad finem huius libri idem M. Aemilius Regillus dicitur, quod placet magis quàm Regulus.

Neglectæ eo biennio res in Græcia erant.

Anno xii. huius belli Sulpitius res in Græcia gessit, ut priore libro scripsit Lilius. Cæterum P. Sempronius successor ei missus, ut paulò post dicturus est, uidetur ociosus sedisse; neque enim quicquam de eo hæctenus

C & gestis rebus eius, quanquam quando missus successor, non dixit uspiam in prioribus Liuius. Quod si hoc XIII. demum anno missus est, nō decimoter- tio, & neq; COS. hęc gessit, recte ait biennio res in Græcia neglectas. Sed hoc est iuuare socios scilicet, ac postea irasci illis, quod derelicti, sine autoritate Romanorū, aduersus fœdus cum rege pacem fecissent. Fieri etiam potest ut in superioribus alicubi sit defectus.

Penice urbs est Epiri.

Quidam emendarunt Phœnice, & recte: sic enim & Strabo & Ptolem. Partheni, & Dimallum, & Bargulum, & Eug.

Parthenorum meminit Plin. lib. 3. cap. 22. ubi gentem Illyricam facit. At cap. 23. eiusdem, Parthinos Macedoniae gentem, cuius Cæsar etiam meminit lib. iij. de bello ciuili. Quidam in confinio utriusque prouinciæ eandem putant, & per i in secunda syllaba, non per e scribendum. Quæ uero hic sequuntur nomina, haud scio an usquam legerim. Et hic locus in plerisq; codicibus asterisco notatus est non absq; causa, desiderantur enim quædam. Et illud, Aintanas, non parum lectorem moratur.

T. Quintius Tarentū, C. Hostilius. Tub. Capuam.

In diuisione exercituum prioris anni non meminit Liuius horum, sed tertio decimo anno huius belli, hoc est, tertio hinc anno.

D Ut COS. magistratus denosq; principes.

Hic principes uocat, quos paulò post cum legatos, cum primores. Deni autem ex duodecim colonijs, præter magistratus, efficiebant numerum CXX. qui retineri iussi, magistratus uero domum ire ad delectus conficiendos. Et coloniarum nomina in plerisq; uetustis codicibus hoc loco melius habent quàm libro 7. quod supra etiam admonuimus.

III. millia æris, asses singulos imperari.

Facile possem hic lectori ostendere quàm fœcunda sit ignorantia. Nam si prosequi uelim quot modis hęc uerba intelligi possint, paginã implerem. Ego uero cum mihi ipsi primū satis facere nequeam, nec lectorem ostentatione inani traham, sed liberè dicam me hunc locū non intelligere. Hoc unū uideri tamen mihi, in mille æris legendū, nō tria millia. Error ex scriptura facilis erat. Loquitur autem de stipendio. Singulos itaq; asses in singulos menseis intelligo, ut de mille æris fierent asses annui duodecim. Et formulam puto pro portione quadam sumptam, ut fors bonorum cuiusq; & secundum sortem militum numerus cognosceretur. Huiusmodi locos fermè nō attingūt qui annotationes scribūt.

Quibus per uos fidemq; uestram P. C.

Quibus nihil rei gesseritis, intelligitur. Sed in illo, per uos fidemq; uestram, nisi intelligamus uerbum aliquod, ut, oramus, admonemus, aut quid simile, non uideo quid sensus ex hoc loco elici queat.

A Auertit à uero falsis elicitas præoccupan. men. hom.

Obscurus sermo: dubium enim est, elicitas ne falsis dicere uelit, an præoccupando potius falsis. Sed elicitas non est in plerisque libris.

Vt singulae fena mil. & ducentos ped. tricenis hab. eq.

Trecenos, id est, trecentenos legendum, non tricenos, quod à triginta deriuatur. Apud doctos non erat opus hoc admonere, sed apud imperitos, & quod librarium erratum hoc est in omnibus ferè codicibus. Laurentius Val. homo de latina lingua optime meritis, primus, quantum meminisse possum, hunc errorem lib. 3. elegantiarum ostendit. Omnes etiam sciunt legionem apud Romanos sæpe uariatam, quod alibi, non uno duntaxat loco, nos admonuimus.

Cum M. Portio Catone (quæstor is tum erat.)

Apud Ciceronem de Senectute, ipse Cato ait se prætorem fuisse bis coss. Quæstorem autem Fabio ad Tarentum. At in eodem dialogo locus alius conuincit eum locum mendosum esse, & hic Liuium recte scripsisse: de qua re rursus & copiosius admonebimus lectorem lib. 2. de bello Macedonico.

Emporia ut peterent gubernatoribus edixit.

B Emporia hoc loco uocat, ut ego puto, littoralia mercatorum ac molliorum hominum loca. Nam ut de Emporijs ad Syrtim paruam intelligam, de quibus ad finem libri 4. decad. sequentis, adduci non possum: neque enim in eum locum Scipio hic diuertit. Nisi quis dicat uoluisse illuc Scipionem diuertere, sed à nautis obtineri non potuisse. Sed & libro eodem ea de re aliquid dicemus.

Nam præter XL. naucis longas quadringentis oner.

Quas hic naucis longas uocat, paulò antè rostratas nominauit. Libro autem primo huius belli, quas primum quinqueres, paulò post longas uocat. Videntur igitur confusa hæc tria nomina, longa, rostrata, quinqueres nauis. Et ex hac quidem comparatione Liuij, quam hoc loco exhibet, uidentur rostratæ augustiores onerarijs: sed an etiam maiores, non equidem pronunciauerim, cum in rostratis singula, in onerarijs bina fuerint lumina: & in pugna nauali ad Vticam libro sequente onerariæ altiores dicantur rostratis. Sed meritò quis clamabit, me nautarum tractare negocium, qui nauigare nesciam: quorum hoc quidem uerum est, illud tamen neutiquam reprehendendum. Nam ea inquire, ad hoc quoque negocium pertinere puto. quantum lectoris iudicio omnia subijcio: licuit dubitare mihi, licebit alijs iudicare.

Gens Masæfylorum omnis in ditionem imperatoris Mezetulli.

Libro huius decadis quarto Liuius ait Syphacem Numidarum regem, Galam autem, Masanissæ parentem, Masæfylorum. Contra uero libro huius belli octauo, Syphacem Masæfylorum regem ait, ubi & eam gentem ac Syphacis regiam absque nomine describit. Sanè & Strabo & Plinius Sigam

C Syphacis regiam fuisse fatentur. At hic nos ter Livius libro mox sequente Cirtham caput regni Syphacis facit, quæ longissimo tractu à Siga distat. Denique Plinius lib. 5. Masanissam Numidiæ regem ait, quæ ad Ampsagam fluuium est, de posteriore loquens tempore huius belli, ut puto. Hæc adeò diuersa, iudicio lectoris relinquo. Verum huius belli tempore existimo Syphacem Carthaginensibus propiorem fuisse: Galam uero Masanissæ parentem, ac Masæsyliorum regem, longe distantiore. Deuiclo autem Syphace, omnia in Masanissæ uenisse potestatem. Nomen uero Numidiæ utrisque regnis cõmune fuisse: sed cum Masæsyli nomen haberent proprium, alteri regioni commune uelut proprium mansisse: nisi quis Masælibyas uocare uelit, ut Strabo facit libro ultimo. Quare, quod libro octauo huius decados dicitur, Syphacem Masæsyliorum regem esse, suspectum: ut & Scipionis nauigatio duabus quinquereuibus fabulæ similior, magisq; trium in Syphacis regia colloquium, Hannibalis, Scipionis ac Syphacis.

Proficiscenti ad Syphacem Lac. reg. ad Thapsum.

Thapsus neq; in Numidia est, neq; in Masæsyliis: mihi nomen suspectum est, ut nihil interim cauiller, mirari me quo pacto Carthaginenses per ditionem suam sinerent regum exercitus uagari, cum hoc tempore omnem Africæ oram tenerent, quæ mari nostro abluitur, ab aris Philenorum usq; ad Herculis columnas, ut autor est Polybius lib. 3. Idem erroris suspicor in nomine Clupea, cuius paulò post mentionem facit.

Instando simulandoq; peruicit.

Hic uidebatur oratio finita, sed postea subnectet: His uocibus incitatus Syphax. Ipse lector secum etiam atque etiam cogitet, sit ne defectus aliquis, an interpolatio rhetorica.

Masæsyliorumq; fines (id Syphacis regn. erat.)

Rursus hic Syphacis regnũ Masæsyliorũ facit, cum in hac digressionem paternum Masanissæ regnũ toties uocarit. Nec satis excusat, quod deuicli Masæsyli in ditionem Syphacis cõcesserant. Sed omnino suspicor legendum hoc loco Masælibyon, atq; etiã ita libro 8. Sed uerba Strabonis libro ultimo geographiæ ponere placuit. Inquit autem: μετὰ δὲ τὴν τῶν Μαυροσίωρ γῆν τῶν Μασαυσίωρ ἐστὶν, ἀπὸ τῆς Μολοχάθ ποταμοῦ τὴν ἀρχὴν λαμβάνουσα, τελευτῶσα δὲ ἐπὶ τὴν ἀκρῆν, ἢ καλεῖται ὄρειον, τῆς τε Μασαυσίωρ καὶ τῆς Μασυλίωρ. id est, Post Maurorum uero terram Masæsyliorum est, à Molochath fluuiio initium sumens, finiens uero in promontorium, quod Masæsyliorum & Masælibyon confinium dicitur. Strabo autem Masæsylios quinque syllabis dixisse uidetur: quare in græcis etiam posteriore hoc loco ita emendandum, μασαυσίωρ. Item ibidem μασαυσιβύωρ lego, ποντασμαβικῶς, ἢ μασυλίωρ, ut uulgati habent codices. Confiniũ autem horũ duorum

A duorum populorum est Triton promontoriū. Sed paulò post Strabonis locus rursus corruptè in græcis legitur, μετὰ δὲ τῷ (inquit) Τριτῷ ἢ μασσαυλιαίων ἐστὶ, καὶ ἢ κορχυδιώνων περὶ ἀπλοσία χωρᾶ. id est, post Tritum uero Masfylieorum est ac Carthaginensium confinis regio. Μασσαυλιώνων legendum, id est, Masælibyum. Tingitanam igitur regionem Mauros & Boccharis regnum intelligimus, Cæsariensem Masæfylos ad Ampsagam usque flumen, aut Triton promontorium. Post Ampsagam, Numidiam siue Masælibyas Syphacis regnum. At tum duo in Liuiio scrupuli uehementer lectorem remorantur: alter quomodo à Masanissa Syphax prælio uictus in Maurusios fugerit, quod libro quarto huius decad. tradidit Liuius: alter quomodo Masælibyum regnum uicinum sit Maurusijs, cum Masæfyli sint in medio: siquidem lib. 8. huius decados legamus, Masælibyū is rex erat, Masælibyes gens affinis Mauris &c. Nisi Maurusiorum (qui Latinis Mauri uocantur) nomen cōmune fuerit Mauris ac Masæfyliis, ut antè de Numidia diximus, quod propè toti Africæ cōmune fuit. Ego, ut in uniuersum dicam, in fuga Syphacis libro quarto, & in descriptione loci ad quem proconsul Scipio in Africam nauigarit, Liuium lapsū opinor: alia bene habere loca, si quis hos duos distinguat populos Masæfylos ac Masælibyas, ut ex Strabone ostendimus.

Gentemq; Garamantum omne tempus.

B Hæc ita narrat Liuius quasi Garamantes uspiam attingant paruā Syrtim. Et Emporia haud dubie ad mare erant in potestate Carthaginensium, si Polybio credimus, ubi, ut puto, nihil tutum Masanissæ. Atqui ob has causas patietur, imò nec indignetur Herodotus sibi æquari Liuiū, iudicio Quintiliani. Nec uerebimur Thucydidi opponere Sallustium, in locorū nomenclatura æque negligentem, etiamsi in ea regione prætor fuit.

Paulò minus trecenti capti uiui, & equi XL.

Et captiuorum & equorum numerus pro occisorum numero quibusdam nimis paruus uidetur.

Viam è foro boario & ædem Veneris circa foros pub.

Quidam legunt, & ad ædem. alij coniunctionem, & tollunt. alij, quod probò, ad Veneris legunt. Verum id ei facile erat, qui Romam uidiisset eo tempore, uerè emendare: nobis coniectandum tantum. Porro fori publici qui sint, uix definire queo, cum libro primo in Tarquinio Prisco fori in maximo describantur circo. Loca (inquit) diuisa patribus equitibusq; ubi spectacula sibi quisq; facerent, fori appellati.

Sextante sal & Romæ & per totam Italiam.

Difficultatem hic habet sermo, num salis modium pro uectigali sextantem soluisse intelligere debeamus. Nam sextante uæniisse uix uerisimile uidetur. Deinde hoc etiam perpendendum lectori, si Romæ precio eodem, pluris au-

Ctem foris præbendum locauerint, quomodo tribus Romanas maxime inde oneratas intelligamus, quod mox subneclit autor.

Vnius quod falsum aduersus se testimon.

Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. ubi de iisdem Censoribus ac eorum contentione mentionem facit, priorem causam à Liuiio hic positam omittit, alteram narrat. Et planè ego quoque non intelligo quodnam hoc sit falsum testimonium.

In loco M. Aemylij Regilli.

In creatione magistratus prioris anni M. Aemylius Regulus hic legatur, sed malim Regillus, ut superius quoque admonuimus. Quidam etiam dubitarunt, si uterque huius anni Consul Cn. dicebatur, quare Liuius non ita locutus sit, Is coss. Cneios, Seruilius, Cæpionem & Geminum creauit, quo modo de tribunis militum conf. potestate sæpe loqui solet. Sed non uidetur meo iudicio Liuius hoc perpetuo obseruasse, quanquam de his duobus Seruilijs libro sequente dubie loquitur, ut ibidem dicemus, ob hoc tamen ego Cn. in C. mutare non ausim.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII
TERTIAE DECADOS LIB. IX. FINIS.

D IN T. LIVII TERTIAE DECADOS
LIBRVM DECIMVM HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



VDOS magnos facerent quos T. Manlius Tor.

Hi ludi uoti erant anno secundo huius belli, C. Flaminius, Cn. Seruilio coss. sed in nullum annorum numerum. Anno itaque undecimo huius belli à T. Manlio dictatore facti, iterumq; uoti in quinquennium. Cum autem hic sit annus sextusdecimus, lector ipse secum dispiciat, quid per quinquennium intelligendum. Ipse tamen Liuius hoc postea libro, anno sequenti hos ludos factos scribit, oblitus opinor huius loci. Nisi quis coss. iustos quidem, sed non fecisse hoc anno credat, quod uidetur uerisimile, nihil enim memoratu dignum hi duos gessere. Errorem nõ paruum faciunt diuersi loquendi modi apud Latinos, dum alius in quinquennium, alius post quinque annos, alius quinquennale spacium lustrum appellat. M. Varro lib. 5. etiam ita loquitur: Lustrum (inquit) tempus quinquennale à lucendo, id est, soluendo, quod quinto quoq; anno uectigalia et ultro tributa per censores persoluebantur. Hæc ille. Ego, cū dicitur quinto quoq; anno, nõ quinque annos intelligo, sed quatuor duntaxat: tres quidem interiacentes, extremorum

A extremorū autem alterū. Ita Olympici ludi quinto quoque anno in *Græcia* fiebant, erant tamen Olympiadis quatuor anni tantum, non quinque. Et non est apud me dubium, quin lustrationem Romani à græca Olympiade habuerint, ut cætera: sed apud eos uix unquā reperias uerè lustris annos obseruatos. In causa fuere ingentia negocia subinde incidentia, & bellici tumultus. Ita ab undecimo anno in hunc sextumdecimū, si extremi numerentur, sunt anni sex: si omittantur, quatuor. Si in posteriorem conferamus annum, quod *Liuius* tradit, non connumeratis extremis, quinque: at septem, ijs adiectis. Ita in lustris annis uariis usus etiam in *Horatio*, ut in eum quoque annotauimus, atque adeo etiam in *Dionysium Halicarnasæum*.

Fruinone arcus solem tenui linea amplexus.

Si sol in arcu erat, quomodo maior solis circulus ipsum includere potuit? Sed opinor per illud intrinsecus nobis significari alium extrà circulum, quem hic solus orbis circulum uocat. Est sanè in re lucida obscura descriptio.

Legati Rom. uetitos se reuerti ab imperatore.

B Ab imperatore, habent uetustiores codices. Quidam emendarunt, ad imperatorem, quod displicet. Nam utique legatis Romanis licebat ad suum redire imperatorem, sed ab imperatore ad *Syphacem* non redituros: id enim uero minabantur, ut tandem responsum elicerent. Est autem hoc factū hic à perfidia non multum alienum, ut ut pinxerit *Liuius*.

Circa urbem nomine *Olbam* ab conqueritoribus suis con-

Nemo, quod sciam, huius urbis meminit uel in *Hispanijs* uel in *Africa*: quod ob manifestum amphibolon dicimus huius loci. Nam si dicas, conducta in *Hispania* quatuor millia *Celtiberorum* circa urbem nomine *Olbam*, certe *Hispaniæ* erit oppidū. Sin ita dixeris, occurrisse sibi circa urbem *Olbam* quatuor millia *Celtiberorū* conducta in *Hispania*, erit in *Africa*. Sed prior sensus magis placet.

Romanus post principes hastatorū prima sig.

Hastati præeunt principes secundum ordinem quem nobis exhibuit libro octauo ab *Urbe* cond. *Liuius*. Ergo hic inuertit ordinem haud absque causa, ut puto, quæ tamen non narratur. Coniungendum autem, signa hastatorum, non principes hastatorum.

Abest à *Carthagine* XII. millia pass.

Polybius libro primo *Tuneta* ait abesse ab *Carthagine* XV. mill. passuum. Meminit eius & *Strabo* libro ultimo. Est autem nominatiuus *Tunes*, etos: à quo regnum nomen habet nostra ætate.

Postremo *asser*es ferreo unco præfixi.

Quidam *aceres* legunt, uidelicet quos ob duritiem *Romani* incidere nequiverunt, ut statim subnectet *Liuius*. Sed iudicet lector.

C Masæfyli regnum paternum Masaniiffæ.

Masæfyli hic Masaniiffæ regnū concessisse dicuntur, cum paulò post apud Syphacem pugnent contra Romanos, atque adeò contra ipsum Masaniiffam. Sed, ut dixi iam sæpe, uel nominū est apud Liuium confusio, aut in posterioribus Masælibyes legendum, cum continuo subnectat Cirtham regiam, quæ est in Masælibybus, non in Masæfyliis.

Ex prætorio in tabernaculum suum confusus con.

Quidam hic defectum esse putant, quod Scipio rogatus hic non abnuisse dicitur, & Masaniiffa tamen poculum mittit. Quidam putant satis id significatum per uerbum, confusus.

Lælium retinendum, donec legati Carthagin.

Hoc loco Liuius decretum ait, ut Lælius retineatur in aduentum legatorum Carthaginensium. Paulò post uero dimissum ait ante aduentū eorundem. Quapropter uel decretum mutatum est, uel lapsus memoria, diuersos uel secutus autores Liuius hæc scripsit.

Et lato clauo tunicis.

Admonuimus etiam supra libro septimo huius decados, ut lector indicaret quid hoc tunicis adderet lato clauo: nam latu sclauius intelligitur absq; tunica.

Dona ne minus quinūm mill. comitib. corū mille æris.

D *Si quinūm millium recte legitur, ut equidem puto, quare non etiam millenū æris? cum uerisimile sit plureis fuisse comites quàm legatos. Nisi quis simul omnibus comitibus mille æris datos intelligere uelit, quæ summa nimis minuta uidetur. Saguntinorū legatis duplo plus datum libro octauo refertur, fortè propter causam cogitatu facilem. Nisi altero in loco mendam esse quis putet.*

Et ut in rem permixtis, ubi cuspide uti & co.

In rem permixtis dixisse uidetur, pro cōtracto certamine. quanquam rarus est hic apud autores sermo, nihil tamen definitio. Quidam, & ut permixtus, legunt.

Patre Cn. Seruilio, & C. Lucretio ex ser. post sex.

Tria hic notanda. Primū, quod hic Seruilius Aulus dicitur libro primo huius belli, quod illic obiter etiam admonuimus. Alterum, quod post sextumdecimum annū ait, cum hic nondum sit elapsus annus, & ipse Liuius paulò post, dedisse id deos sextodecimo demum anno: de qua diuersa loquendi consuetudine paulò antè copiosius diximus. Tertium, quod hoc in loco Canneti captos scribit, cum supra Mutinæ, diuersos opinor secutus autores, ut sæpe solet.

Consentia, Vffugum, Vergæ, Belidiæ &c.

Præter Consentiam haud scio an ullum aliud horum nominū apud aliquem autorem aut legerim aut repererim; oportet obscura fuisse loca.

M. Liuius

A M. Liuius Cn. Seruilius COS. qui prior esset.

Pro prior, alij propior recte legunt: & Seruilius Geminus hic innuit. Sed id quod statim sequitur, Quam ea esset consultatio: quidam pro, ea, substituerunt quanta, quod mihi non probatur.

Ad Aegimurum insulam (ea sinum ab alto claudit.

Ptolemæus Aegimurum è regione sacri Apollinis ponit, uerum à Carthagine longius multo quam hæc Liuij habeat descriptio, quam similem propè iudico Vergilij descriptioni lib. 1. Aeneid. etiamsi Seruius cõmentator neget ullum in Africa eiusmodi portum esse. Strabo lib. ultimo, calidarum aquarum etiã meminit ubi de Tunete: & Corsuræ insulæ in medio ostio sinus Carthaginensis. Et Plinius libro quinto cõtra Carthaginis sinum insulas duas ponit. Sed in nominibus erratum existimo.

Cum ad Bagradam flumen peruenissent.

Strabo libro ultimo, propter Vticam (inquit) Bagrada amnis labitur. Et Plin. libr. 5. cap. 4. Et in altero sinu Vtica, ciuium Rom. Catonis morte nobilis, flumen Bagrada, locus castra Cornelia, colonia Carthago, magnæ in uestigijs Carthaginis. Quæ uerba Plinij hanc legatorum nauigationem multum iuuant. quanquam quale hoc promontorium sit non desinio, fortassis autem ignobile. Apollinis tamen promontorium ponit Ptolemæus prope castra Cornelianam, aliud ab Apollinis sacro. Hæc lectori iudicanda sunt, quemadmodum de quinqueremi legatorum, de qua antea cum mitterentur, nihil dixit, hic cum redeunt, meminit.

Ad Leptim appulit classem.

Et paruum Leptim & alteram, quæ Neapolis quoque dicitur, Ptolemæus tradidit. Plinius item lib. 5. cap. 4. Ego hic de parua potius intelligo, quæ propior Adrumentum erat, quod paulo post uenisse Hannibal dicitur, ac ad eam post aduersam illam pugnam redisse.

Quaternis æris uicatum populo descriperunt.

Quaternis æris, in modios intelligendum, ut lib. 1. de bello Maced. sub finem ubi cõsules creantur, Binis æris (inquit) in modios populo diuiserunt. Eadem locutio est eodem lib. nõ ita longe ab initio, ubi COS. quoque creantur. Quamquam si modius tertia pars est amphoræ, ut Budæus ex Ciceronis frumentaria ostendere conatur, uideo magnam uilitatem, non tamen donationem.

Superauit paternos honores, auitos æquauit.

Credo Liuium ita existimasse: parentem huius Fabij fuisse Fabium Gurgitem, qui COS. factus est ad finem lib. 10. ab Vrbe cond. Aium autem Fabium Rutilianum, qui magister equitum fuit cum Papyrio Cursore, ut ad finem libri octaui: quamquam illic cum Liuius Rutilianum, ut Valerius Max. appellat, hic Rullum, ut Plutarch. etiã, Porro idem Rullus Maximi cognomine primus

Cmeruit ad calcem, lib. 9. ab Vrbe cond. referente Liuiio. Plutarchus autē hunc Fabiū, de quo in hac decade, Verrucosum nominat: atq; ita quoq; Plinius. Ad dit Plutarchus, hunc quartū fuisse Fabium cognomine Maximi. Si igitur Rutilianus siue Rullus primus, Gurges secūsus, de tertio dubitatur. At ego pu to Q. Fabium Max. Piclorem cōs. anno 484. ab Vrbe cond. quanq; nihil asseuero. Quod si Gurges Verrucosi parens fuit, ut uidetur sentire Liuius, in senectute eum genuit. Nam à Gurgitis priore consulatu usq; ad Verrucosi mortem, propē nonaginta intercedunt anni. Quanquam Valerius Max. lib. 8. cap. 14. ad seculi modum huius Fabij ætatem ducit, LXII. annos auguratus sacerdotio eius tribuens, ut propēmodum adducar in Liuiio loco hoc inuersum XLII. pro LXII. ut in prefatione quoq; decad. 4. accidit.

Qui statarios semilixas ducere exercitus solitus.

Tria hic leclori consideranda puto: quem statarium semilixam uocet: cuius casus sit exercitus: deniq; quid hoc, quod paulò post sequitur, ducere exercitum æqualem stipendijs suis. Ego de omnibus uehementer dubito.

Zama quinq; dierum iter ab Carthagine abest.

D Plutarchus in Hannibale, hanc extremam pugnam ad Zamam fuisse scribit: Nadagaræ autem nō meminit. Oportet autē aliam fuisse urbem Zamā, quam quæ à Strabone libro ultimo describitur, & lib. 5. de bello ciuili ab Opio siue Hirtio, et à Sallustio. Plutarchus nihil de distantia tanta dicit. Certū est hic mendam esse. Adrumentū enim uix distat itinere quinq; dierū ab Carthagine: cum hæc Zama, ut ex his omnibus locis apparet, propinquior multo sit, uidelicet ad quam, ut Carthagini succurreret, ab Adrumento magnis itine ribus contendit Hannibal.

Hoc quoq; ludibrium fortuna an casus edide.

Manifeste hic desideratur uerbū: ut, incertū est, uel dubito, uel quid simile.

Hic cernas duobus fortis. uiris, fratrib.

Tres fratres amiserat Hannibal, Hasdrubalem, Magonē, Hannonemq;. Quod autem hic duos duntaxat numeret, cum oratorie sua augere incommoda uellet, in causa fuisse puto, uel quod Hanno inter duces nominari non debuerit, uel quod Liuius hic alios autores sit secutus, de quibus quidem ipse superius quoq; admonuit, post equitatum Carthaginensium occisum, non ita longe à fine prioris libri.

M. Attilius quondam in hac eadem ter. fu. fer. qui sic uictor.

Alij legunt, si uictor, pacem petentibus dedisset. Sanè Polybius lib. 1. uehementer Attilij in hosteis uictos duritiem increpat, meritoq; ipsius accidisse atq; postea insignem illam calamitatem.

Frustra uerba pacata renunciant.

Et neq; hoc, pacata, sanè intelligo.

A Acliberum fingenti quâ uelit flekti, ominatur.

Dubiū et hoc, ad Hannibalē ne referas, an ad Scipionē: suspicor corruptū.

Missio Lælio Romam cum uictoriæ nuncio.

Non ita multo post ait L. Veturiū Philonem, & M. Martiū Rallam, & L. Scipionem cum legatis Carthaginensibus Romam missos. Veturium item postea in concionem prodire à senatu iussum, gaudium illud ingens populo impertisse. Opinor itaq; rursus Liuium memoria lapsum.

Ipse ad contemplandum situm Carthaginis.

Alij, ab contemplato situ, emendarunt: & sensus utcunq; constat. Ceterū nulla apposita causa quod Scipionem Vticam redire, reuocato etiam Octauio, facit, rursusq; redire Tuneta, suspicionem ingerit hunc locum defectum esse.

Obsides centum arbitratu Scipionis darent.

Lib. 2. de bello Maced. non ita longe ab initio, satis apparet hunc locum numero imminutū, aut alterum corruptum. Nam eo in loco centū redduntur, reliqui autem qui adhuc retinebantur ab Norba, Signiam Ferentinumq; transferunt, ut legati Carthaginensium à senatu Romano impetrauerant.

Cum aduersantes paci arguerentur.

Videtur dixisse arguerentur, pro uincerentur, aut compeſcerentur. Videndum tamen ut locus habeat, nam mihi quidem suspectus est.

B Inter portus Compsanum Loretanumq;.

Antonius Sabellicus hunc locum emendans, pro Compsanū, Cossanū legit, quod placet: pro Loretanum, Laurentinum, quod displicet. Sed Loretanum puto portum qui posteriore tempore Traianus dictus est. Meminit eius Ptolemæus. Laurens certe ager nimis hinc abest.

Ibi superantem Infanos montes.

Qui sint Infani montes Sardiniae, non memini me legere apud ullum auctorem. In eo autem itinere quod hic fecit Claudius cōs. Ptolemæus & Erebantium promontorium, & Arcli ponit. Locus mihi suspectus.

Ne comitiorum causa ad urbem reuocaretur.

Quidam maluerunt legere, retineretur: nam in urbe erat, illic manere iussus. Sed reuocaretur intelligi potest, si abisset, quod animo destinarat.

In eius locum successus L. Galba.

Quidam pro L. Galba substituerant, Sulpitius Galba. At is in locum Q. Fabij Max. uenerat, ut antè hoc in libro testatus est Liuius. Alij C. Sulpitius Galba, ut à Seruio Sulpitio sit alius, emendarunt.

Cum Hannibale esse suprema cum Carthaginen. pugna.

Deest hic uel distinctio, uel coniunctio, uel præpositio, cum Hannibale, cum Carthaginen. Vix enim credo Liuium sic locutū, nec ita separare uoluisse adiectiuum, suprema.

C Prætores M. Iunius Pœnus cui fors urba. cuc.

Vide num hic locus integer: solet enim Liuius primū prætores creatos referre, deinde prouinciarum sortem. Et genus dicendi uariatum per casus, mihi primum dubitationis scrupulum iniecit. Notatus præterea asterisco quibusdam in codicibus inueniebatur.

Et hercule mirandum fuisse si aliter fa.

Quidam hic distinguunt, ut noua sententia incipiat ab, Ex insolentia, sed durum sanè est. Consulenda itaq; exemplaria uetusta.

Q. Luclatio, M. Manlio COSS.

C. Luclatij & A. Posthumij consulum mentio est in oratione Hannonis lib. 3. huius belli, qui finem bello primo Punico imposuere. Posteriore anno Q. Luclatius & A. Manlius COSS. facti sunt, quando pax data est Carthaginensibus, quorum hic est mentio. Quidam impudentissime hoc loco pro Q. posuere C. quia C. Luclatius ad Aegateis insulas Carthaginenses uicerit. At hi alterum COSS. non item mutarunt, uidelicet Manlium in Posthumium. Et A. Manlius legendum, quod Manlianæ familiae decreto cautum erat, ne quis M. prænomen haberet, propter M. Manlium Capitolinum, ut lib. 6. narrat Liuius. Porrò quod continuo sequitur, bellum hoc finitum esse septimodecimo, Cn. Cornelio, P. Aelio COSS. ipso autore Liuiio falsum esse conuincitur, qui ab initio huius libri tertium hinc annum sextumdecimū nominat. Erit igitur hic decimus octauus.

Nec esse in uos odio uestro consultum ab Roma.

Quid sibi hæc uerba uelint, non intelligo. Si odio uestri legeretur, uideretur aliquis sensus: sed omnino locus est mihi suspectus.

Militibus ex præda quadragenos æris di.

M. Liuius huius belli libro octauo, cum neutiq; tantum pecuniæ in ærariū tulisset, neq; tanto triumpho inuectus Urbem esset, militibus sexagenos senos æris diuisisse narratur ab hoc ipso Liuiio. Quare hic legendum quadringenos, pro quadragenos: atq; ita habent quidam codices, etiamsi haud sum nescius Budæum lib. 2. de asse, quadragenos legisse. Sed hoc tunc non agebat Budæus.

Omniq; deinde uita, ut dignum erat liber.

Libro octauo sequentis decados diuersas autorum opiniones de hoc Terentio narrabit. Sed in hanc decada satis dubitatum existimamus, ideoq; iam receptui canimus.